37 Quod tamen limitarem, eleemoſyna illa promiſſa eſſet dandi quotidie determinato cuidam pauperi , aut certo quoque tempore : tunc enim crederem non cenſeri promitti intuitu temporis. Quia cum in illo tempore non inveniatur ſpecialis ratio devotionis , præterquam ea continuitate exerceri in eo bono opere, quæ ratio invenitur dando cuilibet: eo ipſo quòd pauper ſignatur , videtur ſpecialior ratio ſubveniendi ei pauperi habita , quàm temporis : ac proinde votum non alligatur tempori. At quando in tempore illo eſſet ſpecialis devotio , videtur primariò habita ſpecialis ratio devotionis temporis, & ſolùm deſignari pauper ille habita ſecundariò ratione ſubveniendi ejus indigentiæ. Et ſubinde ita alligabitur tempori votum, ut eo tranſacto non obliget. Continget tamen aliquando , ſive eleemoſyna ſit danda certo pauperi , ſive quibuſcumque pauperibus, ſive ſit quotidiana, ſive certis devotionis rebus eroganda ; eam non alligari tempori . Quod evenit , quando tempus non tam ipſius intuitu , quàm ratione majoris commoditatis erogaturi eleemoſynam ; deſtinatum . Verbi gratia quis volens eleemoſynam largiri apprehendit non poſſe commodè ſe magnam quantitatem erogare , vel ægrè id fert, vel apprehendit id non ita expediens, & commodum ſibi eſſe , eò quòd eleemoſynas quotidianas abſque nota denegare nequeat, & ideò ut commodiùs eroget, vovit eleemoſynam minutatim faciendam, ſive ſingulis diebus, ſive menſibus, ſive ſingulis diebus Adventus , aut Beatæ Virginis. Tunc enim cum ſit alia ratio, quia ductus eſt vovens ad ſic promittendum, non eſt cenſendus, ita ſpecialem temporis rationem habuiſſe , ut ita alligarit illi ſuum votum , ut ſit onus diei. Juxta dicta *n.* 33.

38 Quando autem omnibus circumſtantiis attentis dubium omnino eſt, an tempus ſit præfixum ejus devotione, an potiùs , ut ſolus exequendæ obligationis terminus , exiſtimo tam in votis realibus , quàm perſonalibus , cenſeri hoc poſteriori modo adjectum : & ita obligare votum eo tempore tranſacto. Quod benè docet *Azor. lib.* 11. *inſtitut. moral. c.* 15. *q.* 21. *in fine*. Sed non ducor ejus ratione , quæ eſt eò quòd hæc pars ſit tutior . Non enim teneretur quis ſemper partem tutiorem amplecti. Sed ratio eſt, eò quòd obligatio voti ſit certa , & ſic eſt in poſſeſſione : eam autem tranſacto tempore ceſſare eſt excuſatio vouentis , ut voto ſolutus maneat. Ergo ipſius eſt id oſtendere, ut voti obligatione liberetur: & dum id non oſtenderit , ſed anceps eſt , ſtabit præſumptio pro permanente voti valore. Non enim præſumitur factum, quale eſt, votum eſſe præciſè ei tempori alligatum. Quod in ſimili probavi *hoc lib.* 4. *cap.* 2. *in fine*, ubi etiam dixi exiſtentibus utrimque rationibus probabilibus generantibus opinionem, integrum eſſe cuilibet, utrius etiam minùs probabili adhærere.

39 Demum triplex breviſſimaupereſt difficultas circa voti tempus . Prima eſt, an qui vouit ſe integro anno jejunaturum, non devotionis tempore , & incœptum illo anno jejunium interpolauit, teneatur denuo incipere, donec anno integro continuo jejunet? Breviter dico non teneri, ſed ſatisfacere jejunio diebus deficientibus ad integri illius anni jejunium: niſi expreſsè jejunium illud abſque interpolatione implendum vouerit. Quia verè dicitur integro anno jejunare, qui tot diebus, quot annus continet, jejunat, etſi non continuè jejunet. Et ita docet *D. Anton:* 2. *par. tit.* 11. *c.* 1. §. 2. *verſ. Secundò eſt reddendum*.

40 Secunda difficultas eſt. Quando promiſſio fit ad tempus certum, & ſunt multa ejuſmodi tempora , nec exprimit vouens quod, nec ejus intentio ſciri poteſt, ſed eſt dubia, de quo intelligatur ? Reſpondeo intelligi de proximè futuro. Ut ſi quis promiſit Adventu jejunare, vel vigilia talis Sancti, intelligitur de proximè futuris . Ita in promiſſione humana decernitur *l. Eum qui Kalendis , in princip. ff. de verbo obligat. & l. regia* 15. *tit.* 11. *par.* 5. Quare ſi votum fuit intuitu temporis, non obligabit eo proximo tempore tranſacto.

41 Ultima difficultas eſt. An obligatio votorum extinguatur morte , ita ut vouens ad vitam reſtitutus liber ab eis prorſus maneat? *Joannes Andreas*, & aliqui alii *c. Fraternitatis , de frigidis , & malef.* negant morte extingui vota . Sed meliùs extingui affirmant *Abb. ibi , Angelus verbo Mors num.* 3. *Sylv. verbo Reſuſcitatus , n. unico*. Qui duo eam reddunt rationem, quòd profitens voveat ſe toto vitæ ſuæ curriculo ſervaturum vota. Unde dicunt ſecùs eſſe , ſi abſolutè voveret. Sed meritò hanc limitationem rejicit, *Navarr. l.* 1. *de reſtit. c.* 2. *in nota edit. n.* 4. *&* 5. Sed ratio eſt , quia omnia hæc vincula , ſicut & matrimonii, pro ſolo vitæ tempore obligant . Quare poſſet profeſſus ille ad vitam revocatus matrimonium inire , etiamſi ſacerdos eſſet. Quia etſi character perſeueret, ille non obſtat matrimonio ineundo, ſed votum quod morte extinctum eſt. Sicut dicimus de ordinato ante rationis uſum, vel metu cadente in virum conſtantem. Quamuis poſſemus dicere, idque verius eſt, hunc ſacerdotem non poſſe validè matrimonium inire , non ratione voti, quod jam extinctum eſt: ſed quia cum verus ſacerdos reſurgat, idque ſacerdotium in perpetuum duraturum ſponte ſuſceperit, tenetur ad leges eccleſiaſticas ſacerdotum, quarum una eſt, ut ſponte ſua oſtinatus nequeat valido matrimonio copulari . Sicut qui tempore ordinis ſacri uſcepti expreſſam haberet intentionem non emittendi voti caſtitatis, maneret inhabilis matrimonio ineundo , non ratione voti, ſed ratione præcepti eccleſiaſtici. Ut latiùs probavimus *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 27. *num.* 12. At ſi profeſſus ille nullo eſſet ſacro ordine initiatus, poſſet ad validas, licitaſque nuptias tranſire. Quia ſola vota obſtabant , à quibus liber prorſus eſt. Utrum autem hic, ſi eſſet ſummus Pontifex, reſtituendus eſſet ad Pontificatum , vel ad ſuorum bonorum poſſeſſionem , conſulendus eſt *Navarra toto cap.* 2. ubi latè de hoc agit.

CAPUT XV.

Qualiter obligatio voti ſit ita perſonalis, ut nemo poſſit , nec teneatur votum ſuum alium implere: nec poſſit ſuo voto alium obligare ? Et qualiter hæc obligatio ad hæredes tranſeat?

SUMMARIUM.

Quot quaſtiones diſputanda ſint? numero 1.
Votum aliud perſonale, aliud reale, aliud mixtum, num. 2.
An vouens conſcius perpetui impedimenti cenſeatur promittere votum ſuum per alium implendum? num. 3.
Quid de voto mixto, quo ad eam partem , qua perſonale eſt ? numero 4.
Quid de voto reali , & quid de mixto , quatenus eſt reale ? numero 5.
An poſſint hac omnia vota impleri per alium? num. 6.
Quid, ſi ea inſcio, aut invito vouente impleantur per alium , nomine ipſius vouentis: etſi poſtea conſcius noluit ratum habere, poſſit mutare voluntatem? n. 7.
An teneatur vouens aliter nequiens votum reale exequi , petere pecunias , aut manum labore , alioue officio acquirere , aut ſponte oblatas legato , vel donatione acceptare ? numero 8.
An vota recitandi, vel alicujus pœnitentia aſſumenda , ad obtinendum aliquid à Deo , vel pro animabus purgatorii , aut pro alia neceſſitate ſint perſonalia , nec poſſint per alium impleri? numero 9. *Et ibi quid in dubio , an votum ſit reale , an perſonale?*
Quid de voto faciendi ſacra à ſacerdote emiſſo? num. 10.
An ei voto ſatisfaciat , vel voto laici miſſas promittentis , ſi ſacerdos ſtipendio aliunde accepto ea ſacra faciat? n. 11.
Qualiter obliget votum Epiſcoporum viſitandi quotannis limina ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli? num. 12.
An votum eundi in ſubſidium Terra ſancta cum aliquibus ſociis , obliget non potente principali adire , ad mittendos ſocios ? numer. 13
Poſt num. 13. *inuenies ſummaria alia.*

1 TRiplex quæſtio diſputanda petitur. Prima eſt, de poteſtate , & neceſſitate voti per alium implendi. Secunda , de poteſtate obligandi ſuo voto alium . Tertia , de obligatione hæredis ad vota defuncti exequenda.

2 Quæſtio prima. An potenti ſe ipſum implere vota, integrum ſit implere per alium, & ſi per ſeipſum nequeat , teneatur per alium? Præmittendum eſt , triplicis generis eſſe vota. Quædam ſunt merè realia , nempè , cum res Deo promittitur, & nil ad perſonam pertinens. Ut ſunt vota erogandæ eleemoſynæ. Quædam merè perſonalia, nempe, cum Deo opus aliquod , & officium perſonæ promittitur. Ut cum quis vouet orare, jejunare, caſtitatem ſervare . Quedam mixta, quæ partim perſonalia, partim realia dicuntur : quando quis rem , & perſonæ officium pollicetur. Ut ſi quis ſpondeat ſe peregrinaturum, peregrinando enim, & iter, & expenſas eſt facturus. Rurſus hoc mixtum votum aliquándo principaliter ſolùm perſonale continet, & reale tamquam acceſſorium . Ut in exemplo poſito contingit . Quandoque autem continet utrumque æquè principaliter : ut cum quis vouet Compoſtellanam peregrinationem , & eleemoſynam illi eccleſiæ erogandam.

3 Prima concluſio . Nequiens per ſe ipſum vota merè perſonalia implere, non tenetur per alium. Quòd res promiſſa ſit ſola perſonalis vouentis actio, ob proprii corporis macerationem , & ob propriam devotionem excitandam . Ergo dum nequit per propriam perſonam exerceri , redditur res promiſſa impoſſibilis . Hæc concluſio ab omnibus admittitur , quando nulla intervenit culpa vouentis in mora implendi voti, ob quam nequit in poſterum implere : vel ſi tempore voti materia erat ſibi impoſſibilis ob impedimentum, idque ignoravit. Quando autem id impedimentum nouit , aut fuit in culpa moræ: diximus *cap.* 2. *numer.* 25. *& triplici ſequenti*. Ex quo fit vota hæc nullatenus poſſe impleri per alium: cum ſint de actionibus propriæ perſonæ.

4 Secunda concluſio. Idem prorſus dicendum eſt de voto mixto , quo ad eam partem , quia perſonale eſt : ut, ſiquis promittat peregrinationem in D. Jacobum, & daturum ejus templo calicem, & nequeat peregrinari, non teneatur alium loco ſui peregrinaturum ſubſtituere ; Quia quo ad eam partem eſt perſonale. Et ita fatentur univerſi.

5 Tertia concluſio . Si votum ſit reale , nequiens , per ſe ipſum implere , tenetur per alium . Quia hujuſmodi

votum non reſpicit perſonalem aliquam vouentis actionem, ſed præcipuè rem exteriorem aliqua ratione à vouente, tanquam ab ejus cauſa profectam. Et ideò procurans dari ab alio nomine ipſius promittentis , præſtat totam rem promiſſam. Et ita docent *Innoc. c. Licèt num. unico, de voto : & ibi Hoſtienſ. num.* 4. *Joann. Andr. num.* 15. *Anton. nu.* 15. *Abb. num.* 12. *Cardin.* 4. *q.* 1. *Anchar. num.* 10. *Henricus nu.* 6. *Abulenſ. c.* 39. *Num. q.* 97. *Angelus verbo Votum* 3. *num.* 7. *Sylv. verb. Votum* 2. *q.* 10. *Tablena verbo Votum* 3. *q.* 1. *n.* 2. *in fine, Sotus lib.* 7. *de juſt. q.* 2. *artic.* 1. *ad ultimum , Nav. ſumma c.* 12. *n.* 55. *Azor. lib.* 11. *inſtit. moral. c.* 45. *qu.* 16. *Manuel.* 2. *t. ſumma c.* 99. *nu.* 10. Atque idem dicendum eſt de voto mixto ea parte, qua reale eſt. Quia eadem prorſus eſt ratio. Et ita docet *Abul. ibi*.

6 Hinc deducitur , quamvis votum reale ; vel mixtum qua parte reale eſt, poſſit per propriam perſonam impleri , poſſe vouentem id per alium implere. Quòd nil referat pecuniam, vel aliam rem promiſſam eſſe ipſius vouentis , vel alterius, dummodo vouentis nomine detur ad opus pium promiſſum. Sic *Abulenſis ea qu.* 97. ubi explicat tunc vouentis nomine dari, quando datur cauſa implendi voti, quo ille ligatus erat.

7 Quare ſatisfaceret voto, ſi eleemoſynam illam erogatam ſuo nomine ab alio , gratia ejus voti exequendi ratam haberet, quamvis eo inſcio erogata ſit. Quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur. *Regula Ratihabitionem, de reg. juris, in* 6. & favet *Abulenſ. ea qu.* 97. dum explicat vouentis nomine dari; quando datur ad ejus votum implendum. Et quamvis à principio vouens conſcius illius eleemoſynæ erogatæ ſuo nomine , nollet eam ratam habere, quo ejus voto ſatisfiat, ſed adhuc habeat animum illius voti implendi, poſſet mutata voluntate priorem illam eleemoſynam ratam habere, & voti obligatione liberatur . Ratio eſt , quia tota res promiſſa erat vouentis nomine impleta : ſola autem ratihabitio illius deerat : nec eò quòd à principio illa denegata ſit, aliquid de rei promiſſæ ſubſtantia detractum eſt. Ergo quocumque tempore accedat ratihabitio , impletum erit votum. Et confirmatur, quia ut voto ſatisfiat, non exigitur intentio ſatisfaciendi, ſed ſatis eſt ipſa externa operis promiſſi executio. Ut probavimus *lib.* 1. *c.* 13. *num.* 10. Nec ille iterum exequendi voti animus nulla nova promiſſione accedente obligationem aliquam inducit. Secùs tamen eſſet, ſi inuito vouente ea eleemoſyna erogaretur, non enim impleret uouens, etſi poſtea ratam haberet. Quia per actum omnino coactum non ſatisfit voto. Ut probavi *eodem c.* 13. *n.* 5. Et cum actus ille ſatisfaciendi voto incapax , eò quòd invitus ex parte vouentis ſit, jam tranſierit, nequit denuo ratus haberi, ut illo votum impleatur.

8 Non tamen teneretur vouens carens pecuniis ad votum reale exequendum, vel ab amicis petere, vel miniſterio alicui vacare, quod ſuum ſtatum dedeceat, ut votum impleat. Quia nulla ratione viſus eſt ad hoc extraordinarium medium ſe obligare, ut ſolvendo ſit debitum ex mera liberalitate contractum . Cum nec ad debita ex juſtitia ſolvenda teneatur hoc medio uti. At teneretur manibus operari ad votum implendum, ſi ſuo artificio viuere ſolitus erat . Quia ad id ſe obligare videtur, utpote quod ſuo ſtatui, modoque viuendi conforme eſt . Si tamen aliquid ſibi donaretur, aut legaretur, idque lucroſum, & utile ſibi eſſet , nullamque juſtam repudiandi rationem haberet, credo eum teneri in foro conſcientiæ acceptare, ut voto perſolvendo ſit. Ut loquens de juſtitiæ debitis probavi latiſſimè *lib.* 6. *de matrimon. diſputat.* 4. *numero* 9. Rationes enim *ibi* traditæ militant in hoc caſu.

9 Ex his deducitur primò, quid dicendum ſit de voto recitandi, jejunandi, aut alterius pœnitentiæ aſſumendæ pro animabus purgatorii, vel exiſtentibus in lethali, vel quocumque alio neceſſitatem patiente, vel ea intentione, ut alius ad bonum aliquod inducatur . Si enim ea vouentis intentio ſit, ut ea opera Deo afferantur, ut illi neceſſitati proſpiciat, ſunt vota realia, ac proinde tenetur implere, ſive per ſe , ſive per alium : poteſt enim alterutrum eligere. Quia tunc obſequium nullum propriæ perſonæ cenſetur promiſſum, ſed formale promiſſionis objectum ex eo fine cenſetur eſſe ſubſidium illius neceſſitatis : materiale autem illud obſequium . Cum ergo ei ſubſidio æquè deſerviat obſequium proprium , vel alterius, cenſetur utrovis modo promiſſum. Quòd ſi vouentis intentio eſſet, id obſequium perſonale Deo offerre , ut ei neceſſitati conſuleret , non poſſe per alium implere . Et in hoc poſteriori ſenſu accipienda eſt hæc promiſſio, dum non conſtat alia vouentis intentio. Quia cum obſequium illud ſit ſuapte natura perſonale, tale judicandum eſt , dum contrarium non conſtat. Si autem finis eſſet propriæ neceſſitati conſulere , tunc ſemper judicarem votum perſonale . Quia ſic meliùs propriæ neceſſitati ſubvenitur . Et eodem modo judicandum eſt de aliis votis in dubio, an ſint realia , vel perſonalia, in dubio enim præſumendum eſt, quod naturæ eorum magis accedit.

10 Secundò deducitur , quid dicendum ſit de ſacerdote promittente aliquot ſacra. Simili enim modo diſtinguendum eſt. Si enim mens ejus fuit ea ſacra offerre Deo pro aliqua re obtinenda, ut illi neceſſitati conſuleret, votum eſt reale, & ſatisfit illi faciendo ſacra per alium . Si autem mens fuit id obſequium perſonale offerre Deo ; non ſatisfaceret faciendo per alium . In dubio autem hujus intentionis, ſic diſtinguerem. Si finis vouentis fuit alienæ neceſſitati conſulere, crederem votum eſſe reale. Quia ſacra facere non eſt ſuapte natura obſequium perſonale, ſed magis accedit reali. Si autem votum emiſerit, ut propriæ neceſſitati conſulat, vel in alicujus ſancti honorem , crederem eſſe votum perſonale : & proinde non poſſe impleri per alium. Quia ex conditione promittentis, qui ſacerdos eſt . cenſetur id obſequium perſonale Deo promiſſum. At quando nec ex fine, nec aliunde poteſt diſcerni , an ſit votum perſonale, crederem potiùs reale ob rationem dictam.

11 Sed major difficultas eſt, an ſacerdos ille ſatisfaciat ei voto totidem ſacra faciens ſtipendio aliunde accepto . Atque eadem difficultas eſt, ſi laicus ea ſacra promitteret , an ſatisfaceret, ſi peteret à ſacerdote, ut ea faceret eo ſtipendio aliunde accepto. Et exiſtimo in neutro caſu ſatisfieri ei voto. Ducor, quòd voto non ſatisfiat opere aliunde debito. Ut probavimus *lib.* 1. *c.* 14. *n.* 7. Cum ergo ea ſacra ſint ex ſtipendio accepto debita , non ſatisfit illius voto . Secundo quia ſi pro aliqua neceſſitate ſit utrumque ſacrum, nempe, promiſſum, & ex ſtipendio debitum , v. g. pro animabus purgatorii, fit illis injuria, & divino obſequio. Cum duplici titulo ſacrum debeatur , & proinde duo ſacra : cum tamen unicum fiat. Si verò ſolùm in ſancti alicujus honorem , ac proinde integrum vouenti erat applicare ſatisfactionem, & impetrationem cuicumque, nec tenetur gratis hæc illi applicare; quamvis danti ſtipendium nulla inferatur injuria , & ſic ſtipendium non eſt ipſi reſtituendum, nec aliud ſacrum pro eo faciendum : at cultui divino videtur irrogari, & ſic eſt aliud ſacrum faciendum, ut ei voto ſatisfiat . Quia ex quovis illorum titulo ſacrum debebatur, ac proinde cultui divino detrahitur, exhibito uno ſacro duplici titulo debito . Sicut etiam etſi mihi liberum ſit ſatisfactionem roſarii in honorem Virginis promiſſi cuilibet applicare, at illo non ſatisfacerem pœnitentiæ mihi injunctæ : eò quòd ſit alio titulo debitum.

12 Tandem duo obſervanda ſunt. Prius eſt, aliquod votum videri perſonale , quod tamen inſtar realis obligat, & poteſt impleri per alium. Hujuſmodi eſt votum in conſecratione ſua ab epiſcopis emiſſum viſitandi quotannis limimina Romana Apoſtolorum Petri, & Pauli . Nam ſtylus habet, & explicat id votum, ut viſitent per ſe ipſos , vel per alium : & ita ſolent committere alicui Romæ exiſtenti, ut nomine ſuo viſitent. Quia aliter intellectum eſſet impoſſibile epiſcopis longè diſtantibus, & iniquum , utpote quod reſidentiam jure divino ab ipſis debitam impediret . Quod conſonat dictis *c.* 2. *num.* 26. ubi probavimus votum perſonale emiſſum à ſciente ſe perpetuum impedimentum habere, cenſeri emiſſum , ut ſubſtituat alium nomine ejus impleturum. Quare cum ex ſtatuto eccleſiæ id votum æquè emittatur ab omnibus Epiſcopis in ſua conſecratione, Eccleſiaque norit raros eſſe per ſe ipſos explere potentes , cenſetur id intelligi, ut per ſe , vel per alios impleant . Quare etiam exiſtentes Romæ ſatisfacerent implendo per alium.

13 Poſterius eſt, è contra aliquod votum uideri reale , quod tamen perſonale eſt, & non obligat ad implendum per alium. V. g. promiſit quis ſe iturum in ſubſidium terræ ſanctæ, ſecumque delaturum quinque pugnaturos, ordinans immediatiùs milites illos, ut ipſum comitentur, & ut juxta ſui ſtatus decentiam adeat: ſi ipſe nequeat adire, ſolùm unum tenetur mittere, nec ampliores expenſas facere, quàm indiget ille loco ſui miſſus. Ut dicemus *num.* 29. Quia delatio illorum quinque, & expenſæ ab ipſo faciendę , erant acceſſoria ſuo itineri, ac proinde conjuncta perſonæ. Ergo ceſſant excuſata perſona ratione impotentiæ, & ſolùm id, quòd omnino reale erat, obligabit, ut per alium impleatur: quod eſt illud belli ſubſidium, quod vouens ſua perſona impenſurus erat. At ſi intentio principalis erat ſubſidium quoque illorum militum, tenebitur quoque illos mittere. Utra autem harum intentio fuerit, ex vouentis ſtatu adjudicari poterit . Et quando omnibus circumſtantiis perpenſis res eſſet dubia , judicarem id votum eſſe omnino reale, & obligare ad omnes illos mittendos. Quòd ipſi voti naturæ, & verbis conformius ſit.

SUMMARIUM.

Propria voti obligatio eſt perſonalis ſolum voventem ligans, numero 14.
An poſſit per procuratorem emitti, & obliget voventem? n. 15.
Qualiter ſucceſſores teneantur votis à populo emiſſis? Referuntur varia ſententia, n. 16. 17. *&* 18.
Explicatur ſententia Auctoris. Et an deſideretur Epiſcopi conſenſus? n. 19.
An pro quibuſcumque rebus levibus poſſint hac vota emitti? numero 20.
An obligent religioſus? n. 21.
Qualiter filii teneantur vota parentum nomine ipſorum filiorum emiſſa implere? n. 22.
Quid, ſi præſentibus filiis, & tacentibus emittant parentes, aut alii : aut ipſis abſentibus, rationiſve uſu carentibus, & poſtea approbent? n. 23.
Quid in dubio hujus conſenſus, vel ratificationis? n. 24.
Poſt num. 24. *invenies reliqua ſummaria, qua deſiderantur.*

14 QUæſtio ſecunda. An integrum ſit vouenti adſtringere aliquem ſuo voto? Qua in re tamquam baſis, & fundamentum eſt ſtatuendum, nulli homini integrum eſſe propria religionis voti obligatione abſtringere quempiam; ſive ſit ſuus filius, ſive hæres, ſive qualitercumque ſibi ſubditus, ſed dicendum eſt propriam voti obligationem ita eſſe perſonalem, ut ſolum vouentem ipſum afficere poſſit. Quare hæres, filii, ſucceſſores populi non adimplentes vota teſtatorum, parentum, populi, nullatenus erant rei voti violati: quamvis aliud peccatum perpetrare poſſint, ut ſtatim declarabimus. Hoc ſatis eſt probatum in juramento, *lib. præcedenti c.* 13. *num.* 1. ubi multos Doctores retuli, qui omnes idem in voto fatentur. Cum utriuſque quo ad hoc eadem ſit ratio.

15 Si tamen quiſpiam poteſtatem alteri daret, ut ſuo nomine aliquid voueret; adſtringeretur vera voti illius obligatione. Quia ſicut juramentum, quod ſimiliter eſt vinculum perſonale, poteſt per procuratorem emitti, aut nuncium. Ut probavimus *lib. præcedenti cap.* 13. *num.* 17. Ita, & votum. Imò idem de ſolemni profeſſione probabimus infra agentes de voto ſolemni.

16 Hinc deducitur primò, qualiter ſucceſſores populi alicujus teneantur votis alicujus feſti obſervandi, aut jejunii, aut eleemoſynæ alicujus quotannis erogandæ, à populo emiſſis. Quidam cenſent teneri ſucceſſores, non tantùm ratione ſtatuti, vel conſuetudinis, ſi ea jam præſcripta ſit; ſed etiam propria voti obligatione, vel ſaltem ratione contractus. Ducuntur, quod ſucceſſores ſint idem populus, *l. Proponebatur, verſ. Et populum ff. de judic.* Ita docent *Navarr. ſumm. c.* 12. *Hiſpanè num.* 80. *Latinè num.* 79. *verſic.* 13. *Manuel.* 2. *tomo ſummæ c.* 99. *num.* 13. *Ludov. Lop.* 1. *part. inſtruct. c.* 50. *columm.* 3. *verſic. Neque ad vota.* At hic modus dicendi, quo ad priorem partem ſuſtineri nequit tamquam contrarius communi omnium ſententiæ dicenti propriam voti obligationem eſſe omnino perſonalem. Ut *num.* 4. diximus. Nec obſtat ſucceſſores reputari eumdem populum: id enim eſt quo ad ſolam repræſentationem, & poteſtatem: ſicut hæres reputatur etiam eadem perſona cum teſtatore. At cum revera ſit perſonarum diſtinctio, & propria voti obligatio ſit omnino perſonalis, nequit alios præter ipſiſſimas vouentium perſonas adſtringere. Quo ad poſteriorem verò partem, manifeſtum eſt ſucceſſores teneri ſtare contractibus à populo initis. At in votis emiſſis nullus videtur iniri contractus. Alii dicunt teneri ſucceſſores non obligatione voti, nec explicant qua lege. Ita *Emmanuel Sà verbo Feſtum, num.* 3. Alii verò dicunt obligare non in ratione voti, ſed in ratione ſtatuti, aut conſuetudinis. Ita *Metina* 1. 2. *q.* 99. *art.* 3. *column.* 3. *paulo ante verſic. Ad primum.*

17 Aliis placet hanc obligationem eſſe ex quadam fidelitate, ex qua obligantur ſucceſſores, ut ſicut bonorum civitatis participes ſunt, ita etiam ſint onerum. Ita *D. Th.* 2. 2. *q.* 98. *art.* 2. *ad* 4. *Sylveſt. verbo Juramentum* 4. *q.* 2. *dicto.* 1. *Tabiena verbo Jurare qu.* 34. *n.* 35. Sed non poſſunt Doctores hi intelligi de fidelitate propriè, & in rigore. Tum, quia omnes fatentur obligationem hanc in ſucceſſoribus eſſe ſub mortali. At virtus fidelitatis quoties perfidia non eſt primo perniciosa, obligat ſub ſolo veniali. Ut teſtatur *Cajet.* communiter receptus *in ſumma, verbo Perfidia.* Tum etiam, quia obligatio hujus virtutis eſt perſonalis, ut de ſe conſtat: quare ſolum dantem fidem obligat. Et ideò adhuc reſtat difficultas, quæ ſit fidelitas hæc, & ex qua virtute propriè oriatur hæc obligatio.

18 Alii volunt teneri ſolùm ſucceſſores, quando conſuetudine longæva ſufficienti ad legem inducendam obſervantia illius voti introducta eſt. Cum enim ea conſuetudo vim legis habeat, tenebantur ſucceſſores ad eam ſicut ad cæteras leges. Ita docent *Azor. lib.* 11. *inſtitut. moral. c.* 8. *quæſt.* 5. *& c.* 15. *quæſt.* 15. *Petrus de Ledeſma* 2. *tomo ſummæ, tractatu* 10. *cap.* 3. *dubio ultimo.* At hic quoque difficilis eſt dicendi modus. Quia juxta illum dicendum eſt ſucceſſores non teneri his votis, dum non ſunt longæuo uſu approbata. Cum tamen *D. Thom.* & reliqui Auctores citati *duplici num. præcedenti* cenſeant univerſos ſucceſſores his votis ligari. Atque loquentes de juramento populi affirmant teneri ſucceſſores, *Felinus cap. De cauſis num.* 2. *verſic.* 2. *vide de offic. deleg. Gutier. auct. Sacramenta puberum num.* 17. *&* 18. *C. ſi adversùs vend. Gratian. regula* 273. *num.* 8. Prætereà quia juxta hanc ſententiam nil prorſus refert, ſive populus id vouerit, ſive non: ac proinde nil his votis populi tribuit. Quippe etſi ea emiſſa non ſint, ea conſuetudo legitimè præſcripta vim legis obligantis obtinebit.

19 Sed dicendum eſt, obligationem hæc vota ſervandi tranſire in ſucceſſores, vel in ratione cujuſdam legis à populo prædeceſſore ſtatutæ, vel in ratione cujuſdam pacti, cujus obligatio tranſit ad ſucceſſores. Et in hoc poſteriori modo convenimus cum Auctoribus relatis *num.* 16. *&* 17. Quippe hanc pacti obligationem appellarunt fidelitatem *D. Thom.* & ſequaces *num.* 17. relati. Nam eſt debita ſervandi prædeceſſorum pacti Atque ita ſuſtinent *Suarez* 3. *tom. in* 3. *par. quæſt.* 83. *art.* 6. *diſput.* 88. *ſect.* 5. *columna* 5. *Petrus de Ledeſma de ſacram. ubi de Euchariſtia cap.* 27. *concluſione* 14. *Vaſquez* 1. 2. *quæſt.* 96. *artic.* 5. *diſp.* 167. *num.* 34. *& quæſt.* 97. *art.* 3. *diſput.* 177. *num.* 22. Quòd ſi dicas vota hæc de rebus ſpiritualibus eſſe, ac proinde nec poſſe de ijs legem à populo indici; nec pactum ſucceſſores obligans. Reſpondeo, ut hæc vota firmitatem legis obligantis ſucceſſores, & eos, qui non voverunt, habeant, deſiderari conſenſum Epiſcopi. Ut benè tradunt *Suarez, Vaſquez, Petrus de Ledeſ. ibidem.* Atque proinde poſſunt pacta hæc, & leges circa res ſpirituales eſſe.

20 Exigitur tamen, ut vim ſucceſſores obligandi habeant, ea ex cauſa rationabili proportionata emitti: ſecùs, ſi ob grandinem, nebulas, & ſimiles nænias fiant, ut aliis citatis benè docet *Enriquez lib.* 9. *de miſſa c.* 25. *n.* 2. *in commento, littera I.* Quia & leges à principe latæ ſimilem cauſam petunt. At tam ingens harum rerum damnum eſſe poſſet, ut jure optimo, ac prudenter populus ea vota gratia Dei placandi emitteret, ſi Deus id damnum avertit.

21 Tenebuntur etiam religioſi exempti ad hæc vota ſervanda. Tum quia ſunt vicini ejus oppidi, & illius bona participant: ac pro communi omnium utilitate fiunt. Tum etiam quia accedit conſenſus Epiſcopi. Et legibus Synodalibus, Epiſcoporumque, in omnibus actionibus communibus, quæ lege Synodali præcipiuntur, nec derogant obſervantiæ regulari, tenentur religioſi etiam exempti obedire. Ut latè probat *Vaſquez ea diſput.* 167. *numer.* 33. Et *Tridentin. ſeſſ.* 25. *De regul. cap.* 12. præcipit, ut feſta ab Epiſcopis indicta regulares obſervent. Et ita docent *Vaſquez ea diſp.* 167. *num.* 34. *& Manuel* 1. *tomo ſummæ, in* 2. *editione c.* 122. *num.* 1. contra quemdam Noctericum, quem tacito nomine refert *ibi Vaſquez.*

12 Secundo deducitur, qualiter teneatur filius ad vota parentum nomine ipſis emiſſa: ut ſi parentes voveant filii peregrinationem, aut aliquod aliud opus. Quippe dicendum eſt, eum non teneri, niſi conſenſum voto præſtiterit. Quia votum unius nequit alterum obligare. Ita *D. Anton.* 2. *p. tit.* 10. *c.* 6. §. 3. *& tit.* 51. *c.* 2. §. 4. *in fin. Angel. verb. votum* 3. *num.* 6. *Sylv. verb. Votum* 2. *q.* 9. *Sotus l.* 7. *de Juſtit. q.* 2. *art.* 1. *ad ult. Navarr. ſumm. c.* 12. *Hiſpanè n.* 73. *Latinè n.* 47. *Angles floribus* 2. *part. q. unica de voto, art.* 2. *poſt.* 13. *difficultatem, dubio* 5. Addunt autem *Sot. ibi, & Metina* 1. 2. *q.* 90. *art.* 3. *col.* 3. *paulò ante verſ. Ad* 1. teneri filios ex obedientia filiali parentibus debita, exequi hæc vota. Sed hoc intelligendum eſt, ſi pater poſtea præcipiat filio, ut hæc exequatur, & pertineant ad bonos mores circa domus, & rei familiaris gubernationem. Quippe in his ſolis tenetur filius parentibus obedire. Ut benè tradunt *Angelus verb. Filius, num.* 30. *& ibi Sylv. q.* 22. *Tabiena quæſt.* 16. *Armilla verb. Obedientia, n.* 11. *Nav. ſumma c.* 14. *n.* 12. Quare nil ſpeciale tribuitur his votis, nam perinde, & ſub eadem culpa tenebitur filius parentibus obedire, etſi illæ non emiſerint. Cum in utroque caſu ſola filiali obedientia adſtringantur. An verò poſſint parentes offerre filios impuberes invitos monaſterio educandos, & filii teneantur tunc obedire, dicendum eſt ex profeſſo inferiùs *c.* 18. Quid autem teneantur parentes efficere, qui hæc vota nomine filiorum emiſere, conſtat ex dictis *c.* 5. *n.* 9. ubi de obligatione voventis factum alienum diximus. Et latius dicemus *c.* 18. *n.* 26. 27. *&* 28.

23 Sufficeret autem, ut filii voto parentum adſtringeretur ex propria religionis obligatione, ſi præſentibus filii doli capacibus, & tacentibus parentes emittant vota eorum nomine: adſitque internus filiorum id votum approbantium conſenſus. Nam non eſt magis perſonalis, nec libera obligatio voti, quàm matrimonii. At hoc ſufficit, ut in utroque foro filius ligetur matrimonio à parentibus nomine ipſius inito. Ut probavi *lib.* 1. *de matrimon. diſp.* 23. *n.* 3. Ergo ſufficiet ad veram voti obligationem. Quia ille aſſenſus voti ſuo nomine emiſſi, eſt quædam approbatio, & admiſſio in ſe illius obligationis. Et quamvis quo ad matrimonium, vel ſponſalia ineunda, diſcrimen ſit inter conſenſum præſtitum a parentibus, vel extraneis nomine filiorum. Ut *eadem diſput.* 23. *n.* 7. probavimus. At in voto nullum invenio diſcrimen, ſed quicumque nomine alterius præſentis, & tacentis voveat, ſi præſens internum conſenſum approbantem id votum habeat, tenebitur vera illius voti obligatione. Quòd diverſa ſit ratio in matrimonio, & in voto. Nam ut dixi *eadem diſp.* 23. *n.* 12. ideò non eſt matrimonium extraneis ineuntibus. Quia ultra internum conſenſum deſideratur ſignum aliquod externum illius expreſſivum. At non eſt ſignum externum taciturnitas filiorum, extraneo nomine ipſorum contrahente: quale eſt cum parentes id efficiunt. Cum ergo votum ſolo interno conſenſu perficiatur, nullum diſcrimen erit, ſiue parentes, ſiue extranei nomine præſentis, interneque conſentientis voverat. Imò idem erit, ſive parentes, ſive extranei nomine abſentium, ſive infantium aliquid voveat. Si enim poſtea ipſi cum doli capaces ſunt, id votum ſuo nomine emiſſum ratum habeant, manebunt voto adſtricti. Ut de matrimonio probavimus *ea diſp.* 23. *numer.* 17. Sæpè tamen in his eventibus, ſive præſentes, ſive abſentes fuerint, excuſabuntur ab hac voti obligatione, eo quòd, ignorarit ratione ſolius illius conſenſus vel ratificationis obligationem voti conſurgere. Hæc enim ignorantia excuſabat ab ea obligatione. Ut diximus *c.* 1. *n.* 26. Ubi etiam diximus in dubio potiùs præſumi ſcientiam favore valoris voti. Quod etiam in hoc eventu procedit. Quia cum illa interna approbatio ſit ſufficiens ad votum, ex eaque votum præſumatur, ſtat poſſeſſio pro illo, & alleganti ignorantiam ut voto eximatur, incumbit onus probandi.

24 Quando verò eſt dubium an filii tacentes conſenſerint internè, vel ratificaverint, credo præſumendum non conſenſiſſe. Quia licèt ut diximus *lib.* 1. *de matrimon. diſput.* 23. *n.* 17. is conſenſus præſumatur parentibus matrimonium, aut ſponſalia nomine filiorum ineuntibus, ſecùs autem quando extranei ineunt: id quidem contingit, quia collocare matrimonio filios eſt parentum. At cum nomine alterius vouere nullius ſit, non video rationem præſumendi hujus conſenſus ex ſola taciturnitate: eo vel maximè, quòd in rebus oneris, & obligationis, qualis eſt votum, taciturnitas non eſt indicium conſenſus. Ut probavi *lib.* 1. *de matrimon. diſput.* 5. *num.* 5. Item quia ob eam rationem *ea diſput.* 23. *num.* 17. probavimus non præſumi conſenſum ex ſola taciturnitate, extraneis nomine filiorum contrahentibus; quòd eorum non ſit illos matrimonio collocare. Et ideò in hoc dubio votum non obligabit. Et idem judicarem, etſi aliqua illius conſenſus ſuſpicio ſit. Sicut nec eam in dubio ad obligationem voti inducendam ſufficere probavimus, *c.* 1. *n.* 16. Ubi etiam diximus exiſtentibus utrimque rationibus probabilibus, licere utrivis parti etiam minùs probabili adhærere.

SUMMARIUM.

An hæredes teneantur vota defuncti explere? n. 25.
An poſſint ad id cogi, etiam per cenſuras? n. 26.
An poſſint à teſtatore cogi implere perſonalia ejus vota, vel aliquid loco eorum perſolvere? n. 27.
Quid, ſi teſtator non jubeat hæredes vota ejus perſonalia implere: aut jubeat non impleri? n. 28.
An votum defuncti in ſubſidium alicujus belli, teneantur hæredes per ſe, vel per alium implere? Et quomodo? n. 29.
Quid, ſi vota ſint mixta? n. 30.
Quid, ſi votum ſit disjunctivum, cujus altera pars eſt perſonalis, altera realis? n. 31.
Quid de monaſterio, aut alio hærede profeſſi, qui vota realia ante profeſſionem emiſſa non impleverat? n. 32.
Quid de ſuccedente in bona religioſi Societatis Jeſu? n. 33.
An donatarius omnium bonorum teneatur donantis vota exequi? num. 34.
An hæres promittens vota defuncti perſolvere, nec adiens hæreditatem teneatur ad id? n. 35.
An teneatur hæres ultra vires hæreditatis? n. 36.
Quid, ſi inventarium non fecerit? n. 37.
An ea vota ſint deducenda ex toto hæreditatis corpore, minuta legitima hæredi neceſſario debita? n. 38.
An ſint præferenda legatis, & aliis juſtitiæ debitis? n. 39.
Quid, ſi hæreditas, vel ea pars, ex qua vota implenda ſunt, non ſit ſufficiens: quæ vota emittenda ſint? Et quid in legatis?
Proponuntur rationes dubitandi, n. 40.
Explicatur ſententia Auctoris, n. 41.
An quilibet teneatur in ſolidum ſolvere debita, vel legata defuncti? n. 42. *&* 43.
An quilibet teneatur in ſolidum ad vota? n. 44.
Quid, ſi res aliena, vel res determinatè Deo promiſſa legetur hæredi? n. 45.
Hæres dubitans an teſtator plus vel minus voverit, vel an vota impleverit, an teneatur ad id, quod plus eſt, vel ad vota? Et an legata ſint ſtrictè interpretanda, ita ut minùs gravetur hæres? Et ad quid teneatur, quando neſcit, quam ex duabus rebus inæqualis valoris promiſſis duobus, cuilibet promiſerit: vel neſcit, quam ex duobus rebus promiſerit? n. 46.

25 QUæſtio ultima. An hæredes teneantur ad vota defuncti ab ipſo non impleta? Conſtat apud omnes eos teneri ad vota realia, ſecùs de perſonalibus, ſive hæredes ſint filii, ſive quicumque alii. Idque deciſum eſt *l.* 2. *ff. de pollicitat.* Et ratio eſt, quia obligatio votorum perſonalium eſt omnino perſonalis, tam ex parte perſonæ obligatæ, quàm ex parte rei promiſſæ, quæ actio quoque perſonalis eſt. Quare nulla ratione poteſt ad hæredes tranſire. At obligatio votorum realium, etſi ex parte perſonæ obligatæ ſit perſonalis, & ita, ut vera obligatio ſolùm voventem afficiat: Ut diximus *n.* 14. at quia obligat perſonam vouentis, quatenus ille eſt dominus, & adminiſtrator rei promiſſæ, dominium autem hoc, & adminiſtratio benè tranſeunt ab hæredes, qui quo ad hæc repræſentant omnino perſonam defuncti: ideò votorum realium obligatio tranſit omnino in hæredem, non ex vi voti, ſed ex vi contractus. Quippe eo ipſo quòd hæreditatem adit, cenſetur contractum inijſſe ſolvendi omnia defuncti debita, ac vota. Ut *num.* 28. explicabimus.

26 Atque poteſt cogi hæres ſub pœna privationis hæreditatis: ad hęc vota perſolvenda. Ut conſtat ex *c. Licèt, de voto.* An verò ſit tota hæreditate privandus, & filius legitima, eò quòd teſtatoris vota non impleat: conſulendi ſunt Doctores eo *c. Licèt, Greg. Lop. l.* 8. *Gloſſ. ultima, & antepenultima, tit.* 10. *part.* 6. *Covarr. c. Si hæredes; num.* 9. *de teſtament.* At diſſident Doctores circa compulſionem per excommunicationem. Nam *Innocen. eo c. Licè nu. unico, verb. Promiſiſti: & ibi Hoſt. num.* 7. *Jo. Andr. n. n.* 4. *Cardin. nu.* 3. *notabili* 4. ſic diſtinguunt. Si hæres promiſerit defuncto ſua vota explere, poteſt per excommunicationem cogi, ad hæreditatis privationem: ſi verò non promiſit, hac ſola poſteriori pœna affici poteſt. At multò verius eſt, poſſe in utroque caſu excommunicatione compelli, ac privatione hæreditatis. Quòd obligationem ex hæreditatis aditione contractam non impleat. Nec aliqua datur congruens diſcriminis ratio inter utrumque caſum. Et ita docent *Anton. eo c. Licèt num.* 7. *in fine: & ibi Abbas n. ult. Sylveſt. verb. Votum* 2. *quæſt.* 11. *dicto* 2. *Palacios* 4. *d.* 38. *diſput.* 1. *poſt* 8. *concluſ. fol.* 842. *column.* 2. *Azor. lib.* 11. *inſtitut. moral. c.* 15. *quæſt.* 15. *in fine.*

27 Poteſt etiam hæres cogi a defuncto, ut loco perſonalium ipſius defuncti votorum, eleemoſynam aliquam eroget: ſicut ad alia legata pia poteſt quoque cogi. Et ita docent *Sylveſt. verb. Votum* 2. *qu.* 11. *dicto* 1. Imò *Abulenſis c.* 30. *Num. quæſt.* 98. ait hæredem juſſum à teſtatore perſonalia ipſius vota implere, teneri quidem jure mandati. Cum voluntas teſtatoris implenda ſit. Verùm hoc non placet. Quia teſtatoris ſolùm eſt de propriis bonis diſponere, non autem de perſonalibus hæredis actionibus. At poſſet utique hæredem non neceſſarium gravare, ut ſub conditione implendi ea vota ſuccedat. Sicut poteſt gravare, ut honeſtum, ſtatuique conveniens matrimonium ineat, & aliter non ſuccedat.

28 Ex his deducitur primo, minùs benè *Angles florib.* 2. *part. quæſt. unica de voto, artic.* 2. *poſt.* 13. *difficultatem, dubio* 4. aſſeruiſſe tunc hæredem teneri implere vota defuncti realia, quando defunctus ipſe hoc in teſtamento injunxerit. Nam quamvis id non injungat, hoc onere hæreditas affecta eſt, ſicut & ſoluendi alia defuncti debita. Ut benè tradunt *Angel. verb. Votum* 3. *num.* 8. *Sylv. verb. Votum* 2. *quæſt.* 11. *dicto* 4. Imò quamvis defunctus expreſsè dixerit nolle hæredem ad ea vota teneri, tenebitur utique. Quod ſatis innuunt *Palud.* 4. *d.* 38. *quæſt.* 3. *artic.* 3. *num.* 17. *D. Anton.* 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 5. *Sylv. verb. Votum* 2. *quæſt.* 11. *dicto* 3. *Tabiena verb. Votum* 3. *quæſt.* 6. *num.* 7. *Navarr. ſumm. cap.* 12. *num.* 56. *Manuel.* 2. *tom. ſumm. cap.* 99. *num.* 11. dum dicunt hæredem teneri ad hæc defuncti vota, ſicut ad alia ejuſdem debita perſoluenda. At conſtat ad hæc teneri, velit, nolit defunctus. Quia eſſe hæredem eſſentialiter importat recipere bona defuncti, repræſentando ejus perſonam quo ad omnem obligationem defuncti, quantum ad eorum adminiſtrationem.

29 Secundò deducitur, teneri hæredes vota hæc realia, vel per ſe ipſos, vel per alios exequi, eo pacto, quo ad id tenebatur defunctus. Cum quo ad hæc ſuccedant in omnem ejus obligationem. Et ita tradunt *Angelus verb. Votum* 3. *num.* 8. *Sylveſt. verb. Votum* 2. *quæſt.* 11. *dicto* 4. Non tamen approbo, quod quidam dicunt; nempe, quando defunctus promiſerat ſe iturum in belli ſubſidium contra fidei hoſtes, nec adiit, teneri hæredes aut ire, aut dare omnes expenſas à defuncto in eo belli ſubſidio faciendas. Hi ſunt *Innoc. cap. Licèt, numero unico, de voto: & ibi Hoſt. numero* 4. *Joann. Andr. numero* 15. *Anchar. num.* 10. *Cardinalis num.* 4. *quæſt.* 1. *Henricus numero* 6. *Abulenſis cap.* 30. *Num. quæſt.* 98. Cum enim hæredes plenè ſatisfaciant mittendo alium nomine defuncti pugnaturum, eas ſolas expenſas huic neceſſarias tenentur facere, ſive defunctus majores, ſive minores eſſet facturus. Tantùm enim adſtringuntur hæredes ad hoc belli ſubſidium.

30 Tertiò deducitur, quando vota ſunt mixta, ſic diſtinguendum eſſe. Si pars realis, & perſonalis expreſſa ſint, tenentur hæredes ad realem ſolam. Ut ſi defunctus vouerat peregrinationem in D. Jacobum, & eleemoſynam illi largiendam, teneretur hæres ad ſolam eleemoſynam. Quia quo ad eam partem eſt votum omnino reale, & utraque pars independenter ab alia, & æqualiter promiſſa cenſetur. Si tamen ſola pars perſonalis ſit expreſſa, ad nil tenentur hæredes. Ut ſi teſtator votum peregrinationis, aut religionis non implevit, hæres minimè tenetur ad expenſas itineris: nec ad bona tradenda, in quę erat religio ſucceſſura. Quòd hęc ſint voto perſonali acceſſoria, & ideò illo extincto pereunt *Regula Acceſſorium, de regul. juris in* 6. Et ita docent *Palud.* 4. *d.* 38. *qu.* 3. *nu.* 19. *&* 20. *D. Anton.* 2. *p. tit.* 11. *c.* 2. §. 5. *Angelus verb. Votum* 3. *nu.* 8. *Sylveſt. verb. Votum* 2. *quæſt.* 11. *dicto* 3. *Tab. verb. Votum* 3. *q.* 6. *n.* 7. *Armilla verb. Votum n.* 24. *Nav. ſumma c.* 12. *n.* 56. *Angles florib.* 2. *p. q. unica de voto, art.* 2. *poſt* 13. *diff. dubio* 4. *Palacios* 4. *d.* 38. *diſput.* 1. *concl.* 8. *fol.* 841. *col.* 2. *&* 842. *col.* 1. *verſic. Quòd ſi quæſieris, Lud. Lop.* 1. *p. inſtruct. c.* 45. *ad finem, Azor. lib.* 11. *inſtit. moral. c.* 15. *q.* 15. *Manuel.* 2. *t. ſummæ c.* 99. *n.* 12.

31 Si autem votum fuit disjunctivum, cujus altera pars erat perſonalis, & altera realis, & defunctus neutram partem implevit, tenetur præciſè hęres ad partem realem. Quia jam obligatio perſonalis alligata defuncti perſonę eſt omnino extincta, tamquam impoſſibilis: & proinde ſuccedit pręciſa obligatio ad realem. Juxta regulam traditam *c.* 13. *n.* 24 Quare etſi vouens poterat alterutram partem eligere, at hęres nequit. Ita docet, etſi non tam amplè, ſed ſolùm dicens teneri hęredem ad partem realem, *D. Anton. n. præced.* allegatus. Et hoc quidem intelligendum eſt, niſi defunctus elegiſſet perfectè partem perſonalem, ita ut ad eam jam pręcisè teneretur. Tunc enim eo non implente ad nil tenetur hęres. Quia juxta dicta *eo c.* 13. *nu.* 26. jam votum erat omnino perſonale.

31 Quartò hinc deducunt *Palud.* 4. *d.* 38. *quæſt.* 4. *art.* 3. *num.* 33. *concluſ.* 3. *& D. Anton.* 2. *p. tit.* 11. *c.* 2. §. 8. monaſterium jure hęreditario in bona profeſſi ſuccedens, teneri

ad vota realia, quæ profeſſus in ſæculo emiſerat, nec impleverat. Quia ſola perſonalia profeſſione religionis extinguuntur. At hoc non credo. Quòd multò verius ſit realia quoque extingui. Ut ſuo loco infra dicemus. Et ideò tamquam penitus extincta, nec monaſterium, nec quemcumque alium hæredem obligabunt. Sed major difficultas eſt, quando voluit profeſſus tempore profeſſionis ea vota realia non extingui. Tunc enim cum ea vota non extinguantur, videtur obligatio tranſlata in monaſterium, vel quemcumque alium hæredem: & ſic videntur non obligare jam monachum, & ideò non poterunt à monaſterii prælato irritari. Sed adhuc dicendum eſt, nec monaſterium, nec quemcumque alium hæredem teneri ea perſolvere. Ducor, quia (ut optimè air *Sylveſter verbo Votum 4. quæſt. 7. dicto 3.*) ſi eam intentionem habuit religioſus ante profeſſionis inſtans, eſt ipſo jure ab illis votis abſolutus. Si verò ipſo profeſſionis inſtanti, judicandum eſt de illis votis perinde, ac de emiſſis poſt profeſſionem, quæ à ſuperiori irritari poſſunt. Quippe cenſentur poſt profeſſionem emiſſa. Quod conſonat doctrinæ communi aſſerenti peccatum indignæ ſuſceptionis baptiſmi in ipſommet commiſſum cenſeri poſt commiſſum, & ideò ſubjici ſacramento pœnitentiæ. At vota realia poſt profeſſionem emiſſa nequeunt obligare hæredem. Cum jam hæres ſucceſſerit. At ſi id votum ante profeſſionem intimatum eſſet parti, in cujus favorem eſt, & ab ea acceptatum, teneretur monaſterium ſuccedens in bona, aut qualibet alius hæres id perſolvere. Cum enim eſſet jam jus illi parti acquiſitum, non tollitur per religionis profeſſionem. Et in hoc caſu eſt vera ſententia *Paludani, & D. Antonini*.

33 Quòd ſi roges, quid dicendum ſit de emittentibus vota biennio in Societate Jeſu, vel vota coadjutorum formatorum in ea, quæ omnia ſimplicia ſunt; ſic dicendum cenſeo: ſi ſuperior irritet ea vota, prout poteſt: vel ipſemet ea vota realia commutet propria auctoritate in ea Societatis vota, quicumque hæres poſtea ſuccedens in hujus religioſi bona, ad nil tenetur. Quia jam per illam irritationem, vel commutationem extincta erant. Si verò ante hanc commutationem, vel irritationem hæres ille jure hæreditario ſucceſſerat in ea bona, tenebitur quidem ad ea vota implenda. Quia per dicta Societatis vota non extinguuntur, ſed ſuſpenſa ſunt. Ut dicitur in *prima congregatione generali ejusdem Societatis, canone* 22. nec poterit jam ſuperior irritare. Quia jam ea vota tranſlata ſunt ad hæredem una cum hæreditate: quare nullum jus irritandi ſupereſt. De profeſſis autem Societatis Jeſu dicendum eſt, quod de aliis profeſſis diximus *num. præcedenti*.

35 Ad donatarius omnium bonorum caſu, quo valet ea donatio, non teneretur ad realia donantis vota. Nam non ſunt ex vinculo juſtitiæ, ſed religionis debita, ac proinde eorum obbligatio, niſi à donante imponatur, non tranſit ad donatarium, ſed ad ſolum hæredem, qui perſonam teſtatoris repræſentat, & adeundo hæreditatem ſuccedit quoque ex tacito pacto in omnia ejus onera. Et favet ſatis *l. 8. ff. de pollicit.* ibi: *Quæ perſonam voventis, non rem, quæ vovetur, obligat*. Et paulo inferiùs, *Hæres hæreditario nomine obſtrictus eſt: voti enim obligationem ad hæredem tranſire conſtat*. Tandem, quià multi ſuſtinent donatarium non teneri ſolvere debita juſtitiæ donatoris, etiamſi donator fiat impotens ad illa reſtituenda, dummodo non recipiat rem pro illis hypothecæ ſubjectam. Quia valet donatio tamquam à vero domino facta, donec per judicem revocetur. Hi ſunt *Metina C. de reſtit. q. 3. cauſa 8. ad 5. Ledeſma 2. p. 4. quæſt. 15. art. 5. fol. 134. col. 4. Navarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. ad fin. in nova editione, dubio ult. num. 174. & duplici ſequenti*. Atque ita multi, quos refert, & ſequitur *Angulo de meliorat. l. 3. gloſſa 5. num. 10.* aſſerunt per alienationem factam in creditorum fraudem transferri dominium, etſi revocari poſſi. Ergo a fortiori de debitis ex ſola religione, quale eſt debitum voti, eſt hoc dicendum.

35 Quintò deducitur non teneri hæredem implere vota defuncti, ſi hæreditatem non adierit. Quia ſolo ad id hereditario jure tenetur. Imo hoc verum eſt, etſi promiſerit ea implere ſpe adeundæ hæreditatis. Nam ſi mutato conſilio non adeat, minimè ad ea tenetur. *Argumen. ex c. Per venerabilem, §. finali de elect.* Si verò independenter ab hæreditate promiſerit, ſua adſtringetur promiſſione. Hæc docent *Hoſtienſ. ſumma tit. de voto num. 15. Henricus c. Licet n. 12. de voto, Abulenſ. c. 30. Num. q. 98. D. Anton. 2. p. tit. 11. c. 2. §. 5. in fine, Angel. verb. Votum 3. n. 8. in initio, & num. 9. Sylveſt. verb. Votum 2. quæſt. 11. dicto 5. Tabiena verbo Votum 3. quæſt. 6. num. 7. Palacios 4. diſt. 38. diſp. 5. poſt 8. concluſ. fol. 842. col. 2. verſic. Sed quid ſi non accepset*.

36 Sextò deducitur, ſolùm teneri hæredem ad ea vota explenda, in quantum vires hæreditatis ſufficiunt. Quippe qui ratione illius ſolius tenetur. Et ita docent *Hoſtienſ. Henricus, Abulenſ. D. Anton. Angelus, Tabiena num. præcedenti* allegati, *Palud. 4. diſt. 38. q. 4. art. 3. num. 33. Sylveſt. verbo Votum 4. q. 7. dicto 3.* & omnes.

37 Quidam hoc temperant, dummodo heres inventarium fecerit; eo enim non confecto tenetur integrè ultra vires hæreditatis vota exequi. Ita docent *Paludanus & D. Anton. numer. præcedenti* allegati. Et agentes de debitis defuncti docent etiam idem in utroque foro locum habere, *Federicus, Pauſ.* & alii, quos refert, & ſequitur *Minchaca de ſucceſſionum creatione, §. 1. num. 26.* Alii autem tenent idem in utroque foro reſpectu creditorum, quibus dicunt teneri hæredem non conficientem inventarium ſolvere integrè ultra vires hæreditatis, non autem reſpectu legatariorum. Ducuntur, quòd *lex finalis C. de jure delib.* ſtatuat hæredem non conficientem inventarium teneri ultra vires hæreditatis. Quæ cum juſta ſit, nec præſumptioni innitatur, ſervanda eſt in utroque foro. Ita docent *Covarr. c. 1. de teſtam. num. 16. Valaſcus conſ. 52. num. 33. tom. 1. Mol. tom. 1. de juſt. diſputat. 217. concluſ. 1. & 2.* & quamvis dubius, magis in hanc partem inclinat *Gregor. Lopez lib. 10. verb. Las mandas in fine, tit. 6. p. 6.* At dicendum eſt tamquam probabilius, non teneri hæredem in foro conſcientiæ vota explere, aut creditoribus, aut legatariis ſolvere, ultra vires hæreditatis; eò quòd inventarium non fecerit; ſed id tantùm procedere in foro externo. Quia, vel ea lex eſt in pœnam negligentiæ hætedis, vel innititur præſumptioni occultationis alicujus bonorum hæreditariorum, & ideò omiſſum ſit inventarium. Et quamvis videam non omnem legem deſinere obligare, ex eo, quòd in præſumptione fundetur; at hanc credo deſinere obligare. Quod ſic explico cum *Vaſquez 1. 2. quæſt. 97. art. 4. diſp. 103. cap. ultimo à num. 16. uſque in finem*. Duplex eſt lex præſumptioni innitens. Quædam, in qua legiſlator in quovis caſu ſingulari aliquid præſumit, & ratione illius aliquid conſtituit. Et hujuſmodi eſt præſumptio, cui Pontifex innixus, *cap. Is qui fide de ſponſal.* ſtatuit matrimonium cenſeri initum copula poſt ſponſalia ſubſecuta. Præſumpſit enim in ſingulis caſibus eam copulam affectu maritali haberi. Et talis lex in quovis caſu, in quo ptæſumptio eſt falſa, non obligat in conſcientia. Altera eſt, in qua non præſumit legiſlator fraudes, vel quid aliud in ſingulis caſibus, ſed quia prudenter exiſtimat in re aliqua, nec raró, nec parvam occaſionem præberi, ut fraudes, & alia damna ſequantur, legem generalem conſtituit, qua hujuſmodi evitet. Et hæc præſumpio fundamentum eſt, cujuſcumque legis. Quando ergo præſumptio eſt hoc modo, non deſinit lex obligare, eò quòd in uno, vel altero ſingulari caſu præſumptio falſa ſit, ſed quando eſt ut plurimum falſa. Quia deficiente legis ratione in uno, vel altero caſu ſingulari, adhuc tamen obligat lex, dum in communi non deficit. Hoc ergo ſuppoſito, exiſtimo legem obligantem ad integram ſolutionem creditoribus, hæredem omittentem inventarium, inniti præſumptioni fraudis in ſingulis caſibus, & ideò in quovis caſu hæres non obligabit ea lex in foro conſcientiæ ad ſolvendum ultra hæreditatis vires. Et ita in votis exiſtimant *Abulenſ. & Sylu. numero præcedenti* allegati. Et univerſaliter in omnibus tradunt *Bart. l. 1. numero 45. C. de ſacroſancta Eccleſia & rubr. numero 3. ff. de acquir. hæred. ubi Alexand. num. 5. Jaſon in fine, Abb. c. Quia plerique num. 4. de immun. Eccleſ. Felin. cap. 1. n. 44. de conſt. Palud. 4. d. 15. q. 3. art. 4. num. 31. Sylv. verb. Uſura 6. q. 10. dict. 4. & verb. Hæreditas 3. q. 5. Sot. lib. 6. de juſt. q. 1. art. 4. ad 3. Joann. Andr. Hoſt.* & multi alii, quos refert, & ſequitur *Anton. Gomez l. 3. Tauri numero 121. Matien. libro 5. recop. tit. 4. l. 1. gloſſa 10. numer. 39. Navarr. l. 3. de reſt. cap. 4. in nova edit. 2. part. dub. 8. numero 137.* Sed major difficultas eſt, an ſecuta ſententia judicis damnatis hæredem, ut integrè ſolvat, teneatur. *Paludanus eo num. 31. & Molina* proximè allegatus affirmant. Quia lex ſtatuit hæredem teneri integre ſolvere, in pœnam negligentiæ non confecti inventarii. At pœna obligat ſecuta judicis ſententia. Sed limitat *Molina*, dummodo hæres in culpa] fuerit non conficiendo inventarium. Quia ceſſante negligentiæ culpa ceſsat ejus pœna. At verius eſt non teneri etiam ſecuta condemnatione. Ducor, quòd ea judicis ſententia, ſicut, & lex id ſtatuens, innitatur fraudulentæ bonorum occultationi. Ut tradunt *Abb. Alexand. Jaſon Felinus, Anton. Gomez*], *Matienzo* proximè alleg. *Sylv. verb. Uſura 6. qu. 10. dicto 4.* Cum ergo ea præſumptio falſa ſit, non ligabit ea ſententia in foro conſcientiæ.

38 Sed dubium ſpeciale eſt, an vota hæc realia extrahenda ſint ex toto hæreditatis corpore, ita ut minuant legitimam aſcendentibus, vel deſcendeſtibus debitam; at potiùs ex ea ſola parte, de qua poterat teſtator libere diſponere. Ut in hoc Caſtellæ regno in præjudicium deſcendentium de quinta bonorum parte, *l. 30. Tauri, hodie l. 13. tit. 6. l. 5. recop.* & in præjudicium aſcendentium, de tertia, *l. 6. Taur. hodie l. 1. tit. 8. eod. lib. 5. Angel. verbo Votum 3. num. 8. in fine, & Sylu. verbo Votum 2. q. 11. dicto 4.* ajunt filium in legitima gravatum ex paterno voto, habere juſtam petendæ diſpenſationis cauſam; ac proinde ſupponunt vota valere, etſi legitimæ præjudicent. Et expreſsè *Nauarr. lib. 3. conſ. tit. de voto, in 1. edit. conſ. 13. num. 4. in 2. conſ. 16. numer. 4.* tenet integrum eſse parentibus in legitimæ filiorum præjudicium vovere quidquid voluerint. Duciturque ſecunda ratione, quam ſtatim proponam. Et poteſt probari hæc ſententia. Quòd debita teſtatoris ex toto hæreditatis acervo extrahantur. At vota debita ſunt. Secundò, quia poſsunt parentes in vita, & mortis tempore in legitimæ præjudicium expendere, quod voluerint in opera pia. Ut docent multi, quos retuli *lib. 6. de matrim. diſp. 36. numer. 3.* Et ſaltem donationes modicas à parentibus factas non extrahi ex

quinta bonorum parte, defendi *illa diſputat. 36. n. 11.* Ceterùm exiſtimo nullatenus extrahenda eſſe ex toto cumulo, nec poſſe legitimam minuere, ſed ex ſola ea parte ſolvenda, de qua teſtator poterat liberè diſponere. Ducor, quòd hæc vota, etſi debita ſint, ortum habent ex cauſa voluntaria, ideſt, liberali teſtatoris promiſſione; ac proinde legitimam jure debitam minuere nequeunt. Quare *ea diſputat. 36. numero 6.* latiſſimè probavi contra Doctores allegatos, non poſſe teſtatorem in præjudicium legitimæ diſponere ad opera pia. Et quamvis donationes modicæ factæ à parentibus tempore vitæ non minuant eam partem, de qua liberè diſponere valent; at ſi donatio non ſit facta, non tenentur aſcendentes, vel deſcendentes, poſt teſtatoris obitum, quidquam, quantumvis modicum, ſolvere, ultra eam partem. Et ita docent non poſſe filium gravari, ut votum paternum impleat ultra legitimam portionem, *Covarr. c. Si hæredes, n. 9. de teſtam.* ubi & alios refert, *Gregor. Lop. l. finali, in fine, tit. 8. p. 1. Angles floribus 2. p. q. unica de voto, art. 2. poſt 13. diff. dub. 4. in fine, Manuel. 2. tomo ſummæ c. 99. n. 11.*

39 Præferenda tamen ſunt hæc vota omnibus legatis etiam piis, præterquam neceſſariis funeris expenſis, quæ etiam ante omnia juſtitiæ debita extrahuntur, *l. penult. ff. de relig. & ſumpt. fune.* Ratio eſt, quia cætera legata ſunt omnino voluntaria; at votorum executio eſt debita. At omnia juſtitiæ debita præferenda ſunt votis. Conſtat, quia illa extrahuntur ex toto hæreditatis acervo, diminuuntque legitimam. Item, quia vota implenda ſunt ex defuncti bonis. At bona alicujus dicuntur, quod ſupereſt deducto ære alieno, *l. Mulier bona, ff. de jure dotium*.

40 Rurſus dubium eſt, an quando hæreditas, vel ea pars, ex qua vota ſolvenda ſunt, non eſt omnibus votis ſolvendis ſufficiens, quæ vota teneatur hæres perſolvere? Quiſpiam poſſet exiſtimare nullum ex illis votis integrè ſolvendum eſſe, ſed pro rata uniuſcujuſque voti detrahendum eſſe exceſſum. Ducetur, quia ſic faciendum eſt in legatis excedentibus partem, de qua teſtator diſponere poterat, vel excedentibus vires hæreditatis; nulla enim etſi pia, ſunt integrè ſolvenda, ſed pro rata exceſſus ille de ſingulis detrahetur. Ut multis allegatis tradunt *Tiraq. de privileg. piæ cauſæ, privilegio 26. n. 9. Angel. verb. Legitima num. 14. & ibi Sylv. q. 10. Greg. Lop. l. 1. verb. de las mandas, tit. 11. p. 6. Anton. Gom. tom. 1. var. cap. 12. num. 34. Gutier. l. Nemo poteſt num. 97. ff. de leg. 1. Parlador lib. 1. de rebus quotidianis, toto cap. 18. Cavall. in ſuis q. practicis q. 103. numero 32.* quamvis *Paulus, & Angel. & Baldus*, quos refert, & ſequitur *Cavall. ibi num. 35.* hoc temperent, niſi legatum aliquod ſpeciei ſit, ut ſi legetur fundus; id enim dicunt eſſe integrè ſolvendum. Et videtur tenere *Greg. Lopez ibidem*, hanc enim opinionem in ultimo loco poſuit. Et *Gutier. ibidem* quæſtionem hanc movit, indeciſamque reliquit. At communis ferè omnium ſententia eſt, quam etiam *iidem Angelus, & Paulus* in aliis locis ſibi contradicentes ſuſtinent, & multi alii, quos referunt; & ſequuntur *Anton. Gomez, Parlador* proximè allegati, *Greg. Lop. l. 2. 5. verbo Obligados, tit. 13. p. 5.* etiam hujuſmodi legatum non integrè ſolvendum eſſe, ſed pro rata dividendum. Sic ergo videtur dicendum de his votis realibus, cum hæreditario jure ea debeat hæres. Præterea, quia etſi vouens, ubi plura vota incompoſsibilia ſunt, teneatur, quod eſt melius, exequi; & ubi conſtat eſſe æquè bona, poſsit eligere, & ubi dubium eſt, quodnam ſit præſtantius, teneatur ad id, quod priùs emiſſum eſt. Ut diximus *cap. 5. à numero 24. ad 29.* At diverſa omnino eſt ratio de ipſo hærede. Nam vouens ipſe tenetur ex religione; & ideò ejus creditor eſt Deus, qui cum velit, quod melius eſt; & æquè velit æquè bona, fit ut vouens teneatur votum ſuum eo modo exequi. At hæres non tenetur ex religione, ſed ex quaſi contractu inito eò ipſo quòd hæreditatem adivit. Ut diximus *numero 25.* Et proinde non Deum creditorem habet, ſed perſonas ipſas, in quarum utilitatem vota redundant. At debita merè perſonalia ſunt pro rata dividenda; ubi debitor non eſt omnibus ſolvendo, *l. Pro debito, C. de bonis author. judic. poſſeſſ. l. 11. tit. 14. p. 5.* Vota autem ſunt debita merè perſonalia, *l. 2. ff. de pollicitat.* Et confirmatur, quia ob hanc rationis debiti, & creditorum diverſitatem, conſurgit poſſe vouentem ipſum ſuum votum in melius commutare, irritationem, & diſpenſationem petere. Quæ hæredi permiſſa non ſunt.

41 Sed exiſtimo, ſic diſtinguendum. Si alterum votum cònſtet eſſe de re meliori, tenetur hæres illud integrè exequi, præferreque alii compoſsibili; ſi autem dubium ſit, utrum ex illis ſit melius, & norit, quod priùs emiſſum eſt, tenetur exequi priùs emiſſum. Et hoc quamvis vouens, vel ipſe ea vota intimarint perſonis, in quarum favorem ſunt, ut ab ipſis acceptentur, ſuntque acceptata; & quamvis hæres juſſus ſit in teſtamento ea vota implere. Ducor, quia hæres in ſolam defuncti obligationem ſuccedit, quamvis diverſo titulo; ille enim tenetur ex quaſi contractu, & quaſi perſonam defuncti repræſentans; hic autem ex religionis vinculo. Ergo tenetur eo ordine implere, quo defunctus tenebatur. Sicut eadem ratione, quæcumque debita, in teſtamentoque juſſus ſolvere, teneretur eo ordine ſolvere, quo defunctus tenebatur. At defunctus, quando utrumque votum eſt incompoſsibile, tenetur omninò præferre, quod de re meliori eſt; & quando eſt dubium, quod ſit melius, tenetur ad priùs emiſſum. Ut latè *cap. 5.* diximus à *num. 24.* Ergo ad idem tenetur hæres. Et confirmatur, quia ſi debitor promiſsiſſet diverſis, & cum altere eorum pactus eſſet, fore, ut rem ſibi promiſſam priùs ſolveret, ſi aliis ſolvendis non ſit, teneretur hæres, eò quòd in defuncti obligationem ſuccedat, rem illam aliis præferre, quando hæreditas non ſufficit omnibus promiſsis implendis. At vota Deo emiſſa eam conditionem imbibitam habent, ut ſi omnia impleri nequeant, ſervetur ordo prædictus. Ut probavimus *cap. 5. à numero 24.* Ergo hæres ad id tenetur. Tandem, quia hæres eſt ejuſdem poteſtatis, ejuſdemque juris, cujus fuit defunctus *l. Hæredem ff. de reg. jur.* Nec obſtat eos, in quorum utilitatem eſt res promiſſa, eſſe creditores, vel ex quaſi contractu, vel quia votum ſibi intimatum acceptarunt; nec juſſum eſſe in teſtamento hæredem ea vota perſolvere, ac proinde ſubire legatorum rationem, quæ in hoc caſu ſunt dividenda. Quia non aliter ſunt intimata, ut acceptentur, nec aliter legata, aut debita ab hærede, quàm ipſe vouens Deo debebat per votum; ac proinde eo modo impleri debent, quo vouens tenebatur. Per quæ conſtat ad argumenta *numero præcedenti* adducta. Quippe illa procedunt in legatis, & in debitis perſonalibus, quæ defunctus non tenebatur præferre aliqua ratione. At ſecùs in votis, in quibus tenebatur ordinem prædictum ſervare. Quamobrem, etſi in legato ſpeciei determinatæ ſit difficultas inter Doctores (Ut *numero præcedenti* retulimus) an ſit integrè ſolvendum, quando omnia legata ſolvi nequeunt; at in hoc caſu voti defuncti nulla eſt differentia ob rationem traditam, ſed ſemper tenetur hæres præferre integrè, quod melius eſt, & in dubio id, quod priùs emiſſum eſt; quamvis votum rei minùs bonæ, aut poſteriùs promiſſæ, ſit determinatæ ſpeciei. Quando autem conſtat utrumque votum eſſe æquè bonum, aut ſi dubium eſt, quod melius ſit, ignorat hæres, quod priùs emiſſum ſit, nec adhibita diligentia id aſſequi poteſt, vel utrumque fuit ſimul emiſſum; tunc quamvis vouenti detur electio, ut quodvis ex illis impleat, quamvis alterum ſit quantitatis, alterum verò ſpeciei; at videtur hæredi non dari, ſed teneri eum pro rata dividere, quamvis ea vota acceptata non ſint, nec juſſus ſit hæres ea exequi. Ducor, quando ea electio concedebatur vouenti, eò quòd ſolum Deum creditorem habebat, qui æque contentus eſt executione voti æquè boni, nec aliqua ratio urgebat, cur in eo dubio alterum ex illis votis præferendum ſit; & ideò quando ex parte alterius voti ratio aliqua præponderabat, nempe id priùs emiſſum eſſet, tenebatur vouens illud præferre. At in hoc caſu eſt ratio urgens, ne hæredi detur ea electio, quia ii, quibus debebatur res promiſsa, ſunt creditores ex quaſi contractu ab hærede inito ratione aditionis hereditatis. Qui cum equale jus habeant, nec jus principale Deo ex voto acquiſitum lædatur, ut lederetur, quando ipſe vouens teneretur Deo alterum preferre. Ergo ratione hujus juris, & rationis preponderantis non dabitur electio heredi, que vouenti concedebatur. Que ratio magis urget, quando ea vota intimata eſſent à vouente perſonis, in quarum utilitatem ſunt, & ab eis acceptata, vel quando juſsus eſset heres ea in teſtamento implere. Verùm quamvis hœc differentia ſit ſatis apparens, videtur adhuc nullam eſse differentiam, ſed dari eam electionem heredi in iis caſibus, quando nullum illorum votorum eſset intimatum parti, ut ab ea acceptetur, ab eaque acceptatum eſt. Quia illi, in quorum fauorem cedit res promiſsa, cum nihil ipſis intimatum ſit, non ab eis acceptatum, non ſunt veri creditores, nec ampliùs jus habent, quàm Deo erat acquiſitum per votum. Cum ergo Dei jus non ledatur, tunc hac electione facta nec ledetur etiam jus harum perſonarum. Item, quia heres ſuccedit in omnem defuncti poteſtatem. Sicut ergo poterat defunctus eligere, ita & heres. At his rationibus utrimque ponderatis, exiſtimo priorem partem eſse veriorem, nempe, non dari heredi eam electionem, quando conſtat utrumque votum eſse equale, vel dubium eſt, quod ſit melius, & neſcit hæres, quod priùs emiſsum ſit, ſed tunc teneri eum dividere pro rata. Quod probant rationes pro hac parte allate. Nec obſtant oppoſite, quia id jus acquiſitum poſt mortem teſtatoris iis, in quorum favorem res promiſsa redundat, efficit, ne liceat heredi id votum in melius commutare, nec petere irritationem, aut diſpenſationem illius, ſicut licebat ipſi defuncto. Sicut ergo hec erant perſonalia ipſius privilegia, eò quòd ſolo religionis vinculo tenebatur, & ſic tantùm ſpectabatur, ne jus Dei lederetur, ita ea electio erit perſonale ipſius privilegium, eò quòd nullum jus violabat ea electione, nec erat aliqua ratio in contrarium preponderans.

42 Preterea dubium eſt, an quilibet heres teneatur in ſolidum vota defuncti implere, quando pars hereditatis, in quam ſuccedit, eſt ſufficiens omnibus illis votis ſolvendis, ita ut, ſi ipſe ſolus eſset heres, teneretur ea implere; V. g. ex quatuor filiis tres ſucceſsere in quintam bonorum partem, ex qua, ut diximus *num. 38.* ſolvenda ſunt realia parentum vota, vel quatuor heredes extranei ſucceſserunt in totam hereditatem, dubitatur an quilibet ex illis, aliis nolentibus, teneatur defuncti vota ſolvere, in quantum non excedunt vires hereditatis ad ipſum pervenientis. Breviter premittendum eſt, ubi ſunt plures heredes, nullum teneri in ſolidum ad defuncti debita, vel legata, niſi quando res debita, vel

legata poſſidetur ab uno, vel obligatio eſt individua. Sed tantùm tenetur quiſque pro rata, juxta portionem hæreditariam, in quam ſuccedit, etſi alii nolint ſuam partem ſolvere. Conſtat ex *l. Pro hæreditariis*, *C. de act. hæred. l. In executione* 85. *in principio verſ. Secunda*, *ff. de verb. obligat.* ubi omnes Doctores.

43 Secundò præmittendum eſt, ut optimè docet *Ant. Gomez* multis allegatis 2. *tom. var. c.* 10. *n.* 3. *& ſeq.* obligationem conſurgentem ex contractu, vel promiſſione, eſſe triplicem. Quædam eſt diuidua omni reſpectu, & eſt illa; in qua continetur res, quæ in pondere, numero, vel menſura conſiſtit. Ut *ſi promittam me daturum centum aureos*, *centum fanecas tritici*. Hujuſmodi etiam eſt promiſſio dandæ alicujus rei integralis habentis certos fines à natura determinatos, quando non promittitur in genere, ſed res certa, & determinata. Ut ſi promittat quis dare hunc calicem, vel talem domum, vel talem ſervum. Quia quamvis res promiſſa ſit indiviſibilis, at obligatio eſt diviſibilis. Secunda eſt obligatio omni reſpectu individua. Quando, ſcilicet, promittitur aliquod factum, ut *promitto me ædificaturum Eccleſiam, vel facturum calicem*. Ratio èſt, quia factum in quadam forma conſiſtit, quæ donec perficiatur, non dicitur aliquid factum. Ita habetur *l.* 2. *l. In executione* 85. *in principio, verſic. Secunda*, *ff. de verbor. obligat.* Tertia eſt obligatio ſuapte natura dividua, at individua effectu, ſeu liberatione. Quia etſi obligatio dividi poſſit, at non liberatur hæres quilibet, donec ſolvatur totum. Hujuſmodi eſt promiſſio dandæ alicujus rei integralis, ut calicis, ſervi, fundi, quando in genere, nulloque terminato promiſſio fit. Et hujuſmodi etiam eſt promiſſio alternatiua. Ut *promitto hunc ſervum, vel hunc fundum*. Sic habetur expreſsè *dict. l.* 2.

44 His præmiſſis dicendum èſt ſic circa quæſtionem propoſitam. Si promiſſio ſit omni reſpectu dividua, ut alicujus quantitatis dandæ, vel alicujus ſpeciei determinatæ, ut certi calicis, certi ſerui, non tenetur quilibet hæres in ſolidum, niſi apud aliquem illorum ſit illa ſpecies promiſſa, ſed quilibet ſatisfaciet dando quantitatis promiſſæ partem, pro rata hæreditatis, in quam ſuccedit, & ſi ſervus ille, vel calix ſit omnium, dando partem, quam in illum habet. Ita habetur expreſsè *l.* 2. *ff. de verborum oblig.* Et tenent ibi *Bartolus*, *Albericus*, *Paulus*, quos refert, & ſequitur *Antonius Gomez* 2. *tom. variar. c.* 10. *n.* 3. 4. 7. Quòd ſi apud aliquem ſit titulo hæreditario ſpecies illa promiſſa, tenetur ille eam integrè ſoluere, at habebit actionem contra alios hæredes, ut ſuam ſibi partem ſolvant pro ratione ſuæ portionis hæreditariæ. Ut habetur *ea l.* 2. & optimè dixit *Sotus lib.* 6. *de juſtit. q.* 1. *art.* 4. *ad* 3. *verſic. Reliqua jam*. Si verò res ſit omni reſpectu individua, tenetur quilibet hæres in ſolidum, alio nolente. Ut habetur expreſsè *d. l.* 2. *& d. l. In executione*. Et tenet citatis *Bartolo*, *Alberico*, *& Paulo Antonius Gomez eo c.* 10. *num.* 25. Et ideò optimè dixere, *Sylveſt. verb. Hæreditas* 3. *q.* 11. *Ang. verb. Hæres n.* 8. *& ibi Tabiena n.* 6. teneri quemlibet hæredem in ſolidum implere promiſſionem defuncti de aliquo faciendo. Hoc autem intelligitur, quando ipſum factum promiſſum eſt. Nam ſi pecunia ordinata ad factum promiſſa ſit, aut legata, ut ſi teſtator vouit, vel legauit aliquam quantitatem pro Eccleſia ædificanda, etſi *Imola*, *Alexander*, *Paulus*, *Angelus* quos refert, & ſequitur *Antonius Gomez*, *dict. c.* 10. *num.* 25. *verſic. Tertio infero*, dicant eam obligationem eſſe indiuiduam omnino, inſtar ipſius facti, ac proinde obligationem tranſire ad quemlibet hæredem in ſolidum. Quod probat *l. Fideicommiſſa §. Si in opere*, *ff. de legat.* 3. At oppoſitum eſt verius, & ita quilibet hæres tenebitur ad eam quantitatem pro rata. Quod ſuſtinent *Bartolus*, *Albericus*, *Baldus*, *Jacobus*, *Aretinus*, *Alexander* ſibi contrarius, *Socinus*, *Jaſon*, *Vincentius* quos refert *ibi Antonius Gomez*. Et ad *l. Fideicommiſſa*, reſpondent intelligi, quando ipſi hæredes ſunt grauati facere aliquod opus, & in eo certam quantitatem expendere. Tandem quando obligatio eſt ſuapte natura dividua, individua autem effectu, ſeu liberatione, ut dandi calicis, vel ſervi in genere, vel disjunctivè hujus, vel illius, quilibet hæres tenetur pro parte, at non manet liber, ſed ſuſpenditur petitio, & actio, donec conveniantur alii cohæredes, & ſi ſolvat, manet liber, ſecùs non. Habetur expreſsè *ea l.* 2. Et citatis *Bartolo*, *Alberico*, *& Paulo*, docet *Antonius Gomez eo cap.* 10. *numero* 8. *&* 12. Quare credo in foro conſcientiæ teneri tunc quemlibet hæredem in ſolidum, quando alii hæredes conveniri nequeunt defectu probationum, & ſi petitur juramentum, negant, vel alia ratione falſa in judicio conuenti ſe exemerunt.

45 Quòd ſi non titulo hæreditario, ſed legati, res determinata Deo promiſſa, relicta alicui eſt, ut inſtituto hæredi, vel alii, videtur idem dicendum, quod de legato rei alienæ. De quo ſic diſtinguitur. Si teſtator legans novit rem eſſe alienam, valet legatum, & tenetur hæres eam emere, & tradere legatario. Quod ſi dominus rei vendere nolit, aut auctiori ſolo pretio, quam valeat, tenetur hæres dare æſtimationem legatario. Quia cùm ſcienter rem illam alienam legarit, non præſumitur voluntas faciendi actus fruſtanei, ſed animus, ut modo poſſibili ea res ad legatarium perveniat. Si verò ignorarit rem eſſe alienam, cenſetur legatum irritum, niſi legatarius ſit perſona teſtatori conjuncta, ut ſi ſit uxor, aut propinquus. Tunc enim præſumitur fore, ut teſtator ſciens rem alienam eſſe, eam adhuc legaſſet, vel tatumndem ex aliis ſuis bonis. Ad legatarium autem ſpectat probare teſtatorem ſciviſſe rem eſſe alienam. Hæc expreſsè habentur, *l. Cum rem alienam*, *C. de legat. §. Non ſolùm inſtitut. de legat. & l. Regia* 10. *titul.* 9. *p.* 6. Et docent *Gregorius Lopez tota ea l.* 10. *Covarr. cap. Filius noſter*, *n.* 1. *&* 4. *de teſtament. Antonius Gomez* 1. *tom. variarum c.* 12. *num.* 13. & latiſſimè *Menochius de præſumpt. lib.* 4. *tota præſumptione* 116. *Molina tomo primo*, *de juſtitia tota diſput.* 196. Qui optimè dicit, cum hæc innitantur præſumptioni, contrarium vim habere in utroque foro, ſi circumſtantiæ contrarium ſine dubio præſumere ſuadentes concurrant. At in dubio ſtandum eſſe in utroque foro hac juris præſumptione. Nomine autem conjunctæ perſonæ intelligit *Antonius Gomez* cum aliis, quos *ibi* refert, conjunctos uſque ad decimum gradum. Sed meliùs *Gloſſa finalis dict. leg. Cum alienam*, *& Molina dicta diſput.* 196. prudentis arbitrio relinquendum ſpectatis aliis circumſtantiis concurrentibus, ut conjiciat, quando ſi teſtator noſſet rem alienam, reliqueret tantùmdem legatario, vel cogeret hæredem emere, aut æſtimationem ſolvere. Porrò legatarium eſſe valdè amicum teſtatoris, aut legatum eſſe ad cauſas pias conjecturæ ſunt, ut credatur fore ut eſto teſtator ignoraret rem eſſe ſuam, tantumdem de aliis ſuis bonis legaret. Et ita tradunt multi, quos referunt, & ſequuntur *Antonius Gomez*, *Menochius numer. decimonono*, *& trenteſimo* proximè allegati. Quamvis multi alii id privilegium cauſæ piæ denegent. Prudentiſque arbitrio ex circumſtantiis occurrentibus judicandum relinquitur, an teſtator ſciverit, an potius ignorarit rem eſſe alienam. Ut optimè docent *Covarr. eo cap. Filius numero primo in fine*; *Menochius ea præſumptione* 116. *numero trenteſimoquinto*. Quando autem perpenſis omnibus circumſtantiis res æquè dubia manet, præſumitur ignorantia, & proindè non valebit legatum. Cum textus *dicto §. Non ſolum*, *dicta libro decimo*, onus probandæ ſcientiæ in legatarium rejiciant. Hoc ergo ſuppoſito difficultas eſt, an idem ſit dicendum, quando teſtator legat rem determinatam, quam Deo promiſerat. Et quidem quando ignoranter, aut voti immemor legat, idem prorſus dicendum exiſtimo, quod de legato. Quia etſi res illa non ſit aliena, eſt tamen Deo debita: nec præſumitur fore, ut ille ſciens legaret contra votum. Quando verò ratione conjunctionis, aut ſpecialis amicitiæ, aut pietatis cauſæ, conjectura ſumeretur fore, ut teſtator conſcius legaret tantumdem de ſuis bonis, valebit legatum, & tenebitur hæres ad eam emendam à perſona, in cujus favorem votum fuit; & ſi emere nequeat, tenetur ad æſtimationem legatario. Si verò ſcienter res illa legata ſit, videtur res dubia, au idem dicendum ſit, quod in legato rei alienæ ſcienter relicto. Videtur enim diverſa ratio. Quippe rei alienæ non integrum eſt teſtatori transferre dominium, ac proinde, ne fruſtra legare cenſeatur, videtur velle, ut hæres illam emat, aut ſi nequeat, ſolvat æſtimationem. At rei Deo promiſſæ poteſt dominium in legatarium transferre; idque feciſſe videtur eam ſcienter legando, perinde ac ſi donaſſet. Et cum ex voti tranſgreſſione obligatio reſtituendi non conſurgat, & ſolam rem illam determinatam teſtator Deo voverit, non tenebitur hæres id votum implere, nec legatarius rem illam reſtituere. Verum exiſtimo dicendum idem, quod de legato rei alienæ ſcienter facto. Quia ſicut, ne actus vanus ſit, jure optimo jus preſumit intentionem legantis ſcienter rem alienam eſſe legandi in quantum poſſet, ita ad vitandam delicti tranſgreſſionis voluntariæ voti præſumptionem, meritò præſumi debet mentem teſtatoris eamdem fuiſſe, quæ eſt in rei alienæ legato. Cum in quantum fieri poteſt, præſumptio delicti vitanda ſit: & tanto cum rigore eam jura vitent, ut gratia illius vitandæ inducant præſumptionem juris, & de jure, animi ineundi matrimonium copula ſubſecuta poſt ſponſalia, *cap. Is qui fidem de ſponſalibus*. In dubio autem ſcientiæ, ſeu memoriæ, aut ignorantiæ, ſeu oblivionis voti, dicendum eſt præſumi oblivionem. Sicut de rei alienæ legato proximè diximus.

46 Tandem ſi dubitet hæres, an teſtator mille, an ſola quingenta voverit, exiſtimabit quiſpiam teneri heredem ad id, quod majus eſt, nempe ad illa mille ſolvenda. Duceturque, quia *cap. Cum dilecti*, *de donat. & regula*, *In teſtamentis*, *ff. de regulis juris*, dicitur in teſtamentis pleniorem interpretationem eſſe accipiendam. Et *Gloſſa ea regula*, *In teſtamentis*, *in initio*, *& Abbas eo cap. Cum dilecti numer.* 4. dicunt idem eſſe in legatis. At credo heredem in eo dubio teneri ad id, quod minus eſt. Ducor quia vovens in eo dubio ad ſolum minus tenebatur. Ut probavimus *cap. decimotertio*, *numero decimoſeptimo*. Non ergo in ſimili dubio heredis, tenebitur ipſe heres ad amplius Cum perinde ſit, ac dubitare, an plus, an potiùs minus ipſe debeat. Preterea, quia quidquid ſit da larga legati interpretatione facienda, & dato ea admittatur, non habet locum in noſtro caſu, in quo non agitur de legato aliquo adimplendo, ſed de teſtatoris voto. Tandem, quia etſi teſtamenta ſint pleniùs interpretanda, eò quòd de favore publico agatur, ad quem ſpectat illa valere. Et ita interpretandi ſunt textus allegati. At legata in teſtamento relicta ſunt ſtrictè interpre-

anda, ut ad minimum hæredem grauent. Ut apertè probat *l. Nummis* 73. *ff. de legat.* 3. *& l. Apud Julianum*, *§. Sejo*, *& l. Si ita ſcriptum*, *in fine*, *ff. de legat.* 1. Et ratio eſt, quia præſumitur teſtatorem velle grauare hæredem, quàm minimum poſſibile eſt, *l. Unum ex familia §. Si rem*, *ff. de legat.* 2. Et docent optimè *Decius d. regula in teſtamentis*, *num.* 3. *Menochius de præſumpt. lib.* 4. *præſumptione* 106. *per totam*, & maximè *à num.* 17. Et quamuis in legatis piis dicant aliqui latiorem interpretationem eſſe ſumendam. Ut retulimus *c.* 13. *num.* 5. At *ibi num.* 8. contrarium probauimus. Si autem hæres certus eſt defunctum emiſiſſe votum aliquod reale, & ex probabilibus conjecturis nequit conjicere id impletum, ſed res manet anceps, tenetur illud implere. Quia debitum eſt certum, ſolutio autem dubia, & proinde pro debito eſt poſſeſſio. Item, quia in hoc dubio condemnaretur in foro externo, eò quòd conſtat de debito, non autem de ſolutione. Ergo idem eſt in foro conſcientiæ. Cum idem in utroque foro ſervandum ſit, quando ſententia fori externi non nititur præſumptione, quam conſtat falſam eſſe. Ut probauimus *l.* 1. *c.* 10. *num.* 18. Quando autem teſtator promiſit duas res inæquales, & neſcitur, cui ex duobus pretioſiorem promiſerit: diximus *capit.* 13. *numero decimo octavo*. Et quid quando unam determinatam ex pluribus, & ſimiliter ignorat hæres quam, diximus *ibi numero* 19.

CAPUT XVI.

Ad quid obliget religionis votum?

SUMMARIUM.

Quot quæſtiones diſputandæ ſunt? *num.* 1.
An hoc ſit votum religionis, & qualiter obliget: Voveo religionem, ſi Deus aliud non diſpoſuerit? *nu.* 2.
An in dubio, an conditio illa evenerit, obliget? *nu.* 3.
An id votum ſit verè conditionale? *num.* 4.
Quid de voto ingrediendi religionem, ſervandæ caſtitatis, non ludendi, & ſimilibus, ſub hac conditione, ſi poſſum? *nu.* 5.
Quid de hoc voto, ingrediar hanc religionem, ſi quam ingrediar? *Remiſſivè num.* 6.
Quid de hoc, nullus erit mihi obſtaculo, quominus religionem ingrediar, vel aliquid aliud faciam? *nu.* 7.
Quid de hoc, promitto fore, ut velim religionem ingredi, vel aliquid aliud faciam, vel fore, ut nolim extra religionem vivere, vel ut aliquid aliud omittam? *numero* 8.
Quid de hoc, promitto me moriturum in religione? *Et quando hoc votum obliget, vel ſi quis voveat ſe ante mortem ingreſſurum religionem?* *num.* 9.
Quid de voto vitæ eremiticæ? *num.* 10.

1 Quæſtio hæc eſt graviſſima, & valde neceſſaria; ſexque quæſtiones diſputandas petit. Prima eſt. Quando cenſeatur votum religionis? Secunda, an illi ſatisfiat ingrediendo quamcumque religionem? Tertia, ad quam diligentiam obligetur vouens, & quando non admiſsus liberetur voti ingrediendi obligatione? Quarta, ad quam perſeverantiam in religione obligetur; & quando poſt ingreſsum exiens, aut expulſus, maneat liber à voto ingreſsus? Quinta, an poſt debitam diligentiam non admiſsus ita voto liberetur, ut ad nil prorſus teneatur, ſed poſſit ad nuptias tranſire? Sexta an contra votum religionis iniens matrimonium, teneatur ad aliquid.

2 Quæſtio prima. Quando cenſeatur religionis votum? De aliquibus votis controverti poteſt, an re vera ſint vota religionis, & qualiter ad illius ingreſsum obligens. Primum eſt, *promitto religionem, niſi Deus aliud de me diſpoſuerit*. Et idem eſt de quocumque alio voto ſub ſimili conditione emiſso. De quo voto agunt *Corduba ſumm. qu.* 39. *& Manuel.* 2. *tomo ſumm. c.* 95. *nu.* 9. Et dicunt, quando de ſpeciali vouentis intentione non conſtat, duplicem eſse ſenſum ex vi verborum. Prior eſt, *voveo religionem, niſi Deus ratione morbi, aut alicujus alterius obſtaculi ingreſſum impedierit*. Et in hoc ſenſu dicunt obligare votum ad religionem, non exiſtente eo impedimento. Poſterior eſt, *niſi Deus aliud, quod ſpirituali voventis ſaluti expedientius ſit, diſpoſuerit*. Et tunc dicunt teneri vouentem prudentes proboſque viros conſulere qui judicent attenta inclinatione, aliiſque peculiaribus circumſtantiis, expediat ne magis ei religionis ingreſsus, & ſi judicent magis expedire, teneri voto. Quòd ſi oppoſitum judicent, dicunt eum liberum eſse à voto. In dubio verò utrum illorum magis expediat, dicunt melius eſse commutationem, aut diſpenſationem impetrare. Hæc illi. Quibus addo ceſsare hujus voti obligationem ex quauis harum cauſarum deficiente, nempe, aut quia adeſt id impedimentum: aut quia judicatur aliud magis expediens ſaluti vouentis. Quia cum utrumque ſenſum ea verba admittant, nec ſit potior ratio de uno, quàm de alio, dum juxta utrumque conditionalem ſenſum non ſtat voti obligatio, præſumendum eſt potiùs in favorem libertatis vouentis, utpote quæ poſſidet. Hoc autem impedimentum non intelligo tale, quale etiam ea conditione non appoſita de obligaret prorſus à voto. Tunc enim fruſtra ea conditio apponeretur. Nec etiam intelligo impedimentum quodvis temporale, id enim non ſolet religionis ingreſsum impedire. Sed medio modo acciperem, nempe, quando impedimentum eſt tale, ut quamvis ea conditione ſecluſa non excuſaret, at commodum religionis ingreſsum diu impediret, & prudentis judicio rationabile judicatur. At quod conferunt dicenda *n.* 5. de conditione, *ſi poſſum*. Quia utraque conditio videtur ſimilis ſuo modo.

3 Cum verò dubitatur, an ſit tale impedimentum, vel an ſit peculiari vouentis ſaluti expedientius non ingredi, videtur id votum obligare. Quia à communiter accidentibus deduci optimè poteſt præſumptio majoris convenientiæ voti religionis, & ſimiliter cum exiſtere impedimentum ſit quid facti, nec facta præſumantur, dicenti ſe impeditum eſse videtur incumbere probandi impedimenti onus. Quare etſi non ſit præſumptio pro voti conditionalis obligatione, donec conditio impleta ſit, at cum talis eſt conditio, ut præſumatur potiùs impleta, videtur ſtare poſseſſio in hoc dubio pro voti obligatione. Ex alia parte videtur id votum non obligare in eo dubio. Quia nulla eſt poſseſſio pro voto conditionali, niſi impleta conditione, cum antea conſtet id non obligare, & petenti obligationem, quaſi conditio impleta ſit, incumbit onus probandi eam impletam, ſive conditio ſit affirmatiua, ſiue negatiua, *l. Eum qui noviſſimus*, *ff. ad Trebell.* & docent *Socinus Junior conſil.* 67. *à nu.* 1. *Mantica de conject. ultimæ voluntatis lib.* 11. *tit.* 16. *num.* 5. Inſuper, quia etſi regulariter expedientius in ſe ſit ſaluti vouentis ingredi religionem, & proinde videtur ſtare poſseſſio pro hac parte, at conditio non fuit, *ſi fuerit in ſe expedientius*, ſed *ſi fuerit voventi, attentis particularibus circumſtantiis, hìc & nunc expedientius*. Et cum ſint circumſtantiæ reddentes rem ancipitem, an ſit expedientius, & proinde, an ſit impleta conditio, non videtur præſumi impleta ad inducendam voti obligationem pendentem ex ejus conditionis eventu. Nec obſtat impedimentum eſse, quid facti, & proinde non præſumi: quia fateor id non præſumi: & ita obligatio abſolutè ad aliquid faciendum, & quò ſe nxoneret, alleganti impedimentum, incumbere ejus probandi onus. At id provenit ex eo, quòd de obligatione conſtat, & excuſatio eſt dubia, & ita ea probanda eſt à ſe eximente, utpote quæ fundamentum ſuæ intentionis eſt. At cum obligatio fuit ſub conditione, *niſi impedimentum fuerit*, nulla eſt poſseſſio pro voti obligatione, niſi probetur id impedimentum non eſse. Quare non eſt fundamentum intentionis ſe excuſantis ab obligatione id impedimentum eſse, ut vel id clarè oſtendere debeat. Quia ipſe excuſatus eſt, dum non conſtat conditionem eſse impletam; ſed potiùs eſt fundamentum intentionis petentis votum obligare, ejus enim obligatio à conditionis implemento pendet. Tandem, quia petenti in foro externo eam obligationem impleri, incumberet probare non eſse impedimentum, & dum res maneret dubia, ſuccumberet utique. Ergo idem in foro conſcientiæ dicendum eſt in ſimili dubio. Juxta regulam traditam *l.* 1. *cap.* 10. *num.* 18. Et hæc pars videtur mihi probabilior. Quam ſatis innuunt *Corduba*, *& Manuel.* allegati *num.* 2. dum dicunt in dubio, quod ſit expedientius, eſſe meliùs petere commutationem, aut diſpenſationem voti; quaſi ſentientes id tantùm eſse conſilium. Quòd ſi petas, quando hæ conditiones negatiuæ cenſeantur impletæ, dicemus infra, ubi de voto conditionali tractaverimus.

4 Ex his deducitur, prædictum votum eſse re vera conditionale. Quia etſi in omni voto intelligatur conditio, *niſi advenerit impedimentum omnino excuſans à voti obligatione*, *vel niſi contrarium gratius fuerit Deo*; & ſic conditio ea expreſsa videatur tacitè ineſse, ut vel ſic actum conditionalem non reddat. At quia non exprimitur eo modo, quo tacitè ineſt, reddit actum conditionalem. Tacitè enim ineſt, dummodo non ſuperueniat impedimentum omnino excuſans à voti obligatione; & in voto religionis, dummodo contrarium non ſit gratius Deus abſolutè, & conſideratis omnibus circumſtantiis in ordine ad bonum commune. Nam etſi contrarium ſit melius huic ſpeciali voventi, id votum adhuc obligat. Ut probaui *cap.* 8. *numer.* 10. At in hoc voto ſufficit impedimentum, quod ſecluſa ea conditione non omnino excuſaret. Ut diximus *numero* 2. Et ut peculiaris vouentis ſaluti ſit expedientius non ingredi.

5 Secundum votum eſt. *Promitto me ingreſſurum religionem, fore caſtum, daturum eleemoſynam, &c. ſi poſſum*. Quod votum eſt conditionale illarum rerum. Et quidem quando vouens neſcit ſuam explicare intentionem, ſenſus illius conditionis ex vi verborum eſt deducendus ex conjecturis. Ut ſi dives promittat eleemoſynam ſub ea conditione, cum re vera poſſit aliàs facilè dare, ſenſus eſt. *Si poſſum vincere meum affectum erga divitias ita, ut ſine magna mei affectus difficultate poſſim*. Ut optimè ait *Suarez* 4. *tomo in* 3. *p. quæſt.* 85. *art.* 1. *diſp.* 3. *ſectione* 3. *num.* 5. Similiter in carnis illecebris valde vexato, vel valde affecto ad matrimonium, ludum, vel aliquod vitium, intelligitur ea conditio. *Si mediocri adhibita diligentia, & abſque magna difficultate potuero pravam illam animi propenſionem ſuperare*. Quare tunc contravenientur illi voto, quando facilè vovens ſuccubuerit tentationi; non autem illius reus cenſendus erit, quando mediocrem adhibuerit diligentiam ad tentationem